



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1719

urn:nbn:de:gbv:46:1-7465

BIBLIOTHECA

Historico-Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Secundæ

FASCICULUS SEXTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, JUN. MD CCXIX.

V I R O

*Plurimum Colendo
& Celeberrimo*

J O H A N N I
C H R I S T I A N O
L O E R S I O ,

Sacrofanctæ Theologiæ
Doctore Ejusdemque

In Regia Tuiscoburgi ad Rhenum
Academia Professore
Ordinario,

Non minori masculæ virtutis quam
casti erga veritatem amoris & do-
ctrinæ haut vulgaris fama
incluto,

PIÆ ERUDITIONIS RARISSIMO
EXEMPLO,

Hunc

Hunc

BIBLIOTHECAE
HUIUS

Duodecimum Fasciculum

In tesseram venerationis,
quin & amicitiae arctioris nun-
quam intermōituræ
publicam,

affectu illibato offerunt

Et ne conatibus honestis atque piis
in Reipublicæ Christianæ & literariæ
commodum tendentibus patrociniū
ac auxilium suum denegare velit,
aurem, qua par est, observantia
vellicant

EDITORES.

Fasciculo hoc exhibentur.

- I. Bernhardi Petri KARLII Consideratio responsionum Cl. *Driesseni* ad dubia circa Chronotaxin *Apocalypticam* & regnum Christi *millenarium* ipsi a Cl. Herm. *Deusingio* nuper mota p. 961.
- II. Jacobi HASAEI *Analecta Biblica*, seu observationes ad illustria quaedam S. Codicis loca, de quibus in Classe prima dissectatum est. p. 986.
- III. Yvonis GAUKES Med. Doct. ad Fr. Ad. *Lampe* de mirabili mulieris in ptochodochæo Bremensi sanatione epistola p. 1073.
- IV. Controversiæ *Driesseno-Wittichianæ* Continuatio p. 1090.
- V. Catalogi librorum novorum ad Theologiam & historiam sacram spectantium atque Belgice a Reformatis editorum Continuatio p. 1104.
- VI. Indices
 1. locorum Scripturæ p. 1115.
 2. vocum Hebraicarum 1123.
 3. rerum 1124.
 4. Tractatum 1146.



I.

BERNH. PET. KARLII,
Past. Esensis,

Consideratio Responſionum Clar. Dri-
essenii, Theologi Groning. ad dubia
circa Chronotaxin Apocalypticam &
regnum Christi Millenarium (Apoc.
20.) quasi adhucdum expectandum,
ipsi a Nobilissimo Doctissi-
moque Viro,

Hermanno Deusingio, U. J. D. Clar.
& Theologiæ propheticæ Cultore
pereximio, nuper mota.

Joh. 7: 24.

Μη κενάτε καὶ εψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν
κενάτε.

CLarissimus Vir, ANTON. DRIESSE-
NIUS, Doctor nunc Theologiæ pu-
blicus in Academ. Groning. novam
Class. II. Fasc. VI. Q99 Viso.

Visorum Apocalypticorum *χρονολογία*, novas-
 que illa rectè exponendi *hypotheses*, invenisse
 sibi visus, eas nuper, editis suis in *Apocalypsin*
Meditationibus eum Ecclesia communicavit.
 Ubi fundamenti loco substernit hypothesin
 de gemino *dierum* 1260. h. e. totidem anno-
 rum, spatio, quorum altero sub *Dracone*, Mu-
 lierem (Ecclesiam) persequente, (Apoc. 12.)
 prius elapso, alterum sub *Bestia*, cum sanctis
 belligerante, (C. 13: 1. 5.) recurrat. Quod tem-
 pus ita conduplicatum annos conficit 2520.
 quibus in partes VII. divisus, *septem* inde pro-
 veniunt *periodi* æquales, singulæ 360. anno-
 rum; queis deinde *octavam* adjungit perio-
 dum, *mille* videlicet annorum, C. 20: 1. sqq.
 h. e. ut ipse putat, annorum 360000. Ad
 prius verò spatium, quod is, ut dixi, *Mulie-*
ris facit, a *Dracone* (dum ea in deserto nu-
 triatur) afflictæ; vel, *Draconis*, *Mulierem*, in
 desertum profugam, ibique nutritam, perse-
 quuti, refert etiam tempus calcatæ a genti-
 bus *civitatis Sanctæ*, C. 11: 2. ubi illud 42. *men-*
sium, (dies 1260. reddentium) decursu descri-
 bitur; nec non *binorum Testium*, dies 1260. in
 faccis vaticinantium, ibid. v. 3. antequam à
Bestia, è mari egressa, (& dehinc menses iti-
 dem 42. h. e. dies, s. annos, 1260. sanctos per-
 sequente, Cap. 13: 5.) occidantur. ibid. v. 7.
 Verùm cum Spiritus prophetiæ reverà unum
 tantummodò idemque annorum 1260. spati-
 um, Apoc. 11: 2. 3. 9. C. 12: 6. 14. & C. 13: 5. in-
 digi-

digitet, quô, non quidem *Draco* *Mulierem* (ceu in deserto jam nutritam) porro infestet, sed *Bestia*, Draconi jam devicto pulsoque succenturiata, *Mulierem*, ejusve semen, c. 12: 14. 16. 17. seu, quod idem est, sanctos, in caelo habitantes, C. 13: 5. 6. 7. debellet, Testesque Dei occidat; C. 11: 3. 7. & quô *Mulier* in deserto nutriatur, gentesque in atrium templi exterius jam intromissæ, civitatem sanctam calcant, ib. v. 2. per contrariam verò Cl. Autoris hypothesein veræ Apocalypseos rationes prorsus turbentur: ejus falsitatem vel paucis demonstrare, haud gravabor. Dubiam jam quidem illam nuper fecit Nob. D. Deusingius: contra quem verò Cl. Autor, editis mox *Responsionibus* suis, speciosis sanè, eam defendere conatus est; demonstraturus, (quod caput hîc est controversiæ) *Mulieris* in deserto *nutritionem*, diebus 1260., s. annis 3½, (cujus mentio Apoc. 12: 6. 14. fit,) ad prima jam Ecclesiæ, cum Dracone adhuc præliatæ, tempora pertinere, multumque ad eò a periodo ac negotio *Bestiæ marinæ*, sanctos Mensibus 42. affligentis, (de qua c. 13.) esse removendam; propterea quod Ecclesia a primo jam post natum Christum seculo, sub gentilibus Imperatoribus in deserto gentilismi versata & conservata, ibidemque ad eò nutrita, sit: (quò tunc Psal. 107: 4-9. allegat:) quare & v. 14. cum Vulgato & Beza legit, ὅτις τρέφεται ἐν εἰς ἄβυσσος: non verò, ut meliores habent Codices,

ὅπως τρέφῃται ἐκεῖ, ut alatur ibi : ut evincat, durante adhuc Draconis persecutione jam nutritam esse in deserto gentium ecclesiam. Illud verò secus esse, vel ex postremis v. 14. verbis, ἀπὸ τῆ προσώπῃ τῆ ὄφειος, a facie serpentis, satis liquet : quæ docent, Mulierem, cum nutriretur in deserto, loco sibi parato, jam tutam a facie, h. e. ira, (ut Ebraeorum וַיִּבֶן Jud. 6: 6. 12. c. 9: 21.) Draconis fuisse, nec ejus furorem tunc amplius habuisse metuendum. Ita enim verba Spiritus S. habent d. v. 14. ἵνα πέτηται εἰς τὴν ἔρημον, εἰς τὸν τόπον αὐτῆς, ὅπως τρέφῃται ἐκεῖ καιρὸν καὶ καιρῶς, καὶ ἡμῶν καιρῶς, ἀπὸ προσώπῃ τῆ ὄφειος. Ut avolaret in desertum, in locum suum, ut aleretur illic tempus, tempora & dimidium temporis a facie (irata) serpentis. Quæ novam Autoris sententiam, quasi nutritio illa Mulieris ad Draconis adhuc periodum pertineat, prorsus refellunt, ostenduntque, illam ad subsequentem Bestiæ periodum omninò esse referendam, quâ Draco, eluso jam extremo quoque ipsius contra Mulierem, persecutiones ejus nunc evadentem, furore, per Bestiam deinceps semen Mulieris persecutum ivit, quod Capitis 13. argumentum est. Nimirum non agitur Apoc. 12: 6. & 14. de generali nutritione Ecclesiæ, quomodo illa omni se tempore & loco habet, sed de speciali & miraculosa, certo tempore & loco futura, nempe de nutritione ejus sub Antichristianismo, qualis fuit nutritio Israël, bis

bis & quadragies castra metantis in deserto Num. 33. & *Elie*, durante illa triennii & semestris *αβροχία*, 1. Reg. 17: 1. Jac. 5: 17. Luc. 4: 25. ad quam illic manifestò alluditur. Certè locus ille, *Mulieri in deserto paratus, ut illic aleretur*, v. 6. Apoc. 12. (non immediatè a Deo, sed mediatè per gentes; sicut *Elias* alebatur per corvos: d. 1. Reg. 17: 4. dicitur enim, *ἵνα τρέφωσιν αὐτὴν ut alerent illam*, videlicet gentes, per *desertum* designatæ Conf. Apoc. 16: 15. βλέπωσι, Matth. 7: 16. συνείργουσι, & C. 9: 17.) non alius est, quàm *urbs illa magna*. Apoc. 17: 18. (quæ ibidem in *deserto* collocatur, v. 3. h. e. in imperio Romano, & quidem Christiano gentili.) Quòd si enim illic fata Ecclesiæ N. T. repræsèntantur, factâ allusione ad conceptionem & partum Mariæ, fugamque ejus cum filio in Ægyptum; (quod omninò est verisimile, Vide Balduini Hunnii *Currum Cherubimorum*, p. 139. sq.) innuitur utique, fore ut Ecclesia Christiana ex Judæis fidelibus, ac Apostolis præsertim, eam parturientibus quasi & parientibus, prognata, & quidem non foeminea & serva, sed *mascula* ac libera, (Conf. Joh. 16: 20. 21. Gal. 4: 17. Joh. 4: 22.) persequutionemque Judæorum infidelium effugiens, se recipiat in Ægyptum mysticam, h. e. in Imperium Romanum, ubi gentes rectora, h. e. imperio in gentes potitura, sit. In quo tamen deserto Imperii R. non protinùs eò alita est modò, ex quo illuc alis quasi

aquilinis advolavit tempore Constantini M.,
 alenda demum illic tempore *ἀβροχίας* & ste-
 rilitatis illius spiritualis, sub Jesabele mystica
 eventuræ: quod tempus coincidit cum tem-
 pore belli ac victoriæ Bestiæ. Quare lectio
 illa v. 14. Apoc. 12. *ὅπως τρέφεται ἐκεῖ καρπὸν,*
καὶ καρπὸς καὶ ἡμῶν καρπῶν, (ut alatur illic tempus,
 tempora & dimidium temporis, quæ verba om-
 ninò ad tempus illius *ἀβροχίας* respiciunt,
 Jac. 5:17.) vera utique lectio est: præsertim
 cum lectio communis, *ὅπως τρέφεται ἐκεῖ,* ubi
 alitur illic, (procul dubio inde prolata, quòd
 veræ lectionis ratio non intelligeretur,) tau-
 tologiam involvat; quando *ἐπὶ* & *ἐκεῖ* idem
 valent. Ut aded in hac defendenda, & illa
 refellenda, frustra desudet Driessenius, suæ
 hîc etiam hypothese nimis intentus.

Sed & ea, quæ Apoc. 11:1-6. de *calcata a*
gentibus, in atrium templi exterius intromissis,
civitate sanctâ, per 42. *Meenses factâ,* (Conf. quod
 ad phrasin, Psal. 79:1. Esa. 64:18. Luc. 21:24.)
 deque *binis Testibus,* per *dies 1260. vaticinatis,*
 & *a Bestia occisis,* leguntur, non ad *primordia*
 Novi Test. uti censet Autor, sed ad eadem
 illa Antichristianismi tempora, spectare; illæ
 ipsæ demonstrant historiæ, & loca illa Scri-
 pturæ, ad quæ illic Apocalypsis alludit. Nam
 v. 2. d. c. 11. alluditur ad Babylonios, qui Hie-
 rosolymam, urbem illam sanctam, calcârunt
 annos 70. Quemadmodum etiam v. 1. respi-
 citur ad Ezech. 40:3. 4. C. 42:10. 11. ubi pro-
 mit.

mittitur ædificatio templi post exitum ex Babylonem. *Babylonem* verò Babylonis mysticæ fuisse typum, satis constat.

Per gentes itaque intelligendi illic procul dubio sunt Pontificii. Quæ & ratio est, quòd tempus gentium istarum, d. v. 2. & tempus Bestiæ, c. 13: 5. unum, adeoque & idem sit. Qua ratione & duo illi Testes ibid. v. 3. considerandi sunt, ut in Babylonem mystica prophetantes: ut & tempus prophetiæ ipsorum in sacris, d. v. 3. & tempus cadaverum eorundem in plateis magnæ urbis jacentium, vs. 9. similiter idem sit. Versu 4. respicitur utique ad Zach. 4: 1. sq. ubi de Zorobabele, coram quo mons ille magnus Babylonis futurus erat in equabilem campum v. 7. & ad 1. Reg. 17: 1. ubi Elias dicitur stare coram Deo Israël.

V. 5. alluditur manifestò ad 2. Reg. 1: 10. ; Versu verò 6. ad d. 1. Reg. 17: 1. & Exod. 7: 20. 21., adeoque ad res, a Mose sub Pharaone, in Ægypto, & ab Elia sub Ahabo & Jezebele, gestas: quæ sanè spectant ad tempus Ægypti mysticæ, v. 8. h. l. & Jezabelis Antichristianæ, de qua Apoc. 2: 20. legimus. Unde liquet v. 7. verba illa, ὅταν τελέσωσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν, non posse significare, cum dies illi 1260. (quod est tempus prophetiæ binorum Testium) fuerint exacti; sed hòc sensu esse accipiendâ, Cum testimonium suum absolverint, vel, ad perfectionem deduxerint; quod factum ante dierum istorum exordium.

Nisi distinguere malis inter μαρτυρίαν & προφητίαν. Bestia enim bellum gessit cum Testibus, postquam illi abunde dixerant suum de Christo testimonium; (quod inde ab initio Novi Test. factum utique erat:) at illi vaticinati sunt in sacris tempore belligerantis & vincentis Bestiæ, (diebus 1260.) nempe de excidio Antichristi, ejusque regni, & regno Dei ilud excepturo. Ut adeo nulla quoque sint, quæ ex hoc v. 7. pro opinione sua defendendâ contra Doctiss. Deusingium, Respons. p. 34. sqq. disputavit Driessenius.

Reliqua, quæ idem Vir Cl. ita pro tutanda sua de millennio sancto, quasi adhuc expectando, hypothese, ad Rationes Deusingianas, illam sollicitantes, à p. 49. respondere voluit, in superiori Demonstratione nostra vel refelluntur, vel nervus saltem eorum ita inciditur, ut consistere porro nequeant. Nec tamen possum, quin ad ea, quæ ille veræ sententiæ, quæ nostra est, quòd nimir. Capita 19. & 20. Apoc. coordinanda, at Capita 20. & 21. sibi invicem subordinanda sint, opposuit, vel paucis adhuc respondeam. & Monstratum ipsi fuerat, Satanæ ligationem Apoc. 20:2.3. spectare ad illud tempus, cum prohibitus ille est, τὸ ἔθνη τῆς ἀικεμένης ἁλῆς (Apoc. 12:9.) amplius, sicut antè, seducere atque impellere ad apertam idololatriam & violentam religionis Christianæ persecutionem. Ad quæ respondet ille, I. Nihil esse addendum textui: dici d. v. 3. absolutè, τὸ ἔθνη, non, τὰ ἔθνη τῆς

τῆς οἰκισμένης. Ego verò inquam, Scripturam nihilominus ex Scriptura, & præsertim Scriptorem ex Scriptore, explicari oportere. Atqui Joannes hîc manifestè respicit ad illud quod C. 12: 9. dixerat, idque continuat, docens, Draconem, ubi dejectus erat e cœlo in terram, deinde ligatum esse, & *conjectum in abyssum*, h. e. relegatum ad gentes exteras & longinquas, ut ne gentes τῆς οἰκισμένης, h. e. imperii Romani, (Luc. 2: c. 4: 5.) amplius seduceret. Vid. Joh. Melchior. T. 1. Opp. p. m. 690. sqq. & 734. sqq. II. Ait, *Satanam nunquam magis fuisse solutum, quam post tempora Constantini M.* Nam, præterquam quòd multas gentes, post illam rerum καταστροφὴν, adhuc longissimum tempus in superstitione ethnica retinuit, gentes etiam Christianum nomen amplexas, partim in hæreses, partim in novam idololatriam, nempe Antichristianam, præcipites dedit. Sed respondetur, loqui Joannem non de quavis seductione, sed de tali, quâ *Satanas gentes antè impulerat ad apertam idololatriam, & violentam Christianæ fidei & nominis persecutionem*: uti liquet ex v. 8. ubi dicitur, fore ut ipse solutus exeat πλανῆσαι τὰ ἔθνη - - συναγαγεῖν αὐτὸς εἰς πόλεμον aduersus castra sanctorum & urbem dilectam. Quod ei imperio ad Christianos translato, non fuit porro integrum. Quapropter thronum & potestatem suam Bestiæ cessit, ut per eam gentes ad tectam saltem idololatriam seduceret, cum victo ipsi, ad apertam, non liceret. III. Ob-

jicit, Regni millennarii terminum conspicuum non posse demonstrari in historia. Ad quod responderi potest, nec illud esse necessarium: quia numerus ille *millenarius* hinc fortè non designat tempus præcisè determinatum; sicut *dies* 1260. sed tempus longum ac diuturnum; perinde ut Psal. 90: 4. quorsum hinc respicitur: prout vel ex oppositione *parvi temporis* apparet. Adde Job. 9: 3. c. 33: 23. Ps. 91: 7. & 105: 8. it. Ps. 84: 11. Eccl. 7: 18. Cant. 4: 4. Esa. 7: 23. c. 30: 17. c. 60. 22. Ezech. 37: 3. 4. ubi similiter numerus ille definitus & rotundus pro indefinito, at grandi, sumitur. *Solutus* autem fuit Satanus, ex quo ei licuit rursus bellum apertum gerere cum Sanctis. d. v. 8. sq. Quod fieri cœpit, cùm in Waldenses & Hussitas ingentes exercitûs congregavit. IV. Inquit, Satanam oportere solvi μικρόν χρόνον. v. 3. Sed ex nostra hypothese solutioni s. soluto Satanae danda esse integra secula. Resp. Hæc non pugnare. Siquidem totum tempus V. T. (quod tamen annos sesqui millenos excedit,) dicitur *ἄνω γὰρ ἔστιν ἰσχυρὸν* parvum momentum, (LXX. χρόνον μικρόν καὶ ἐλίπον σε) Esa. 54: 7. respectu seculorum Novi Test. tempus istud diuturnitate, longè exsuperaturorum. Accedit, quòd Joannes non dicit, *καίρον ὀλίγον*, ut Apoc. 12: 12.; neque tantùm *μικρόν*, ut Servator Joh. 13: 33. c. 14: 19. c. 16: 16. sed, additò *χρόνον*, quod *moram* longiusculam notat. Vide Apoc. 10: 6. coll. Matth. 24: 48. Ut *χρόνον* & *μικρὸς* designate

re possit moram, longiorem quidem, at-
 tamen minorem (dicitur enim μικρός à μείω mi-
 nuo,) tempore illo ligationis diuturno, mille
 annis expresso.

Suprà laudatus Jo. Melchioris l. d. de Mil-
 lenio hoc ita commentatur: Non omninò est
 necessarium, illud intelligi tam accuratè definitum.
 Cum enim sit rotundus, i. e. completa alicujus men-
 sura, & quidem, inter simplices, omnium maxi-
 me; non est ab usa Scriptura, etiam prophetica,
 alienum, ut aliquantum intelligatur plus minusve:
 (Conf. 2. Petr. 3: 8.) Facile certè capitur, aliam
 ejus hac in parte esse rationem, quàm ubi numeran-
 tur dies 1260. 62. & 7. distincte septimana, 42.
 Menses 120. anni, aut alii numeri, neque per cen-
 turias, neque vel per decurias integras, definiti.
 Ad verba, μικρόν χρόνον, hæc annotat: Sive com-
 paratè hoc intelligamus ad mille annos; ad mediam
 eorum partem adscensurum non videtur postremi hu-
 jus furoris spatium: sive absolutè etiam; prophe-
 tia utique Vet. Test. promittebat, brevi tempore af-
 futurum Messiam, quum ultra annos 400. adhuc
 abesset. Hagg. 2: 7. Hab. 2: 3. Conf.
 Apoc. 6: 11. Esa. 54: 7. 8. Psal. 30: 6. Non igi-
 tur existimandum, tempus illud soluti rursus
 Satanæ tam fore exiguum, uti censet Drief-
 senius. Quod & res, eo tempore gerendæ,
 satis docent. Nam α. memoratur v. 7. 9. exi-
 tus Satanæ e carcere suo, ad seducendum denuò
 gentes: nempe ut tenebras Papatus præ luce
 evangelii exoriente diligerent, istamque lu-
 cem

cem odio haberent, atque oculos suos ad
 eam clauderent: *β.* Finis illius seductionis,
ut eas congregaret in bellum. Quæ congrega-
 tio tentata est, & etiamnum tentatur,
 dum ex ore Draconis, Bestiæ & Pseudopropheta
 emissi sunt, & emittuntur, tres illi spiritus impuri,
 Dominicani sanguinarij, Franciscani animales,
 & Jesuitæ Sanctimoniam mentientes, ad reges
 terræ, qui eos congregent ad praelium magni illius
 diei Dei omnipotentis, Apoc. 16: 13. 14. *γ.* Ad-
 scensus earum super latitudinem terræ, qui fit, dum
 Gog & Magog, Pseudopropheta & Bestia,
 multas terras, post reformationem, sibi ite-
 rum subjiciunt, multosque populos in suam
 redigunt ditionem, quod etiamnum conti-
 nuant. *δ.* Circuitus castrorum sanctorum, qui fit,
 dum Protestantes, qui in regnis Pontifici ad-
 dictis vitam agunt, tanquam in castris aper-
 tis, veluti in Gallia & Hungaria, a Pontificiis
 in arctum coguntur & opprimuntur. *ε.* Cir-
 cuitus urbis dilectæ, qui futurus est, cum Prote-
 stantes, qui sub suis magistratibus, tanquam
 in urbe munitâ, in Britannia, Belgio, Dania
 Norvegia, Suecia Helvetia, Prussia & aliis qui-
 busdam Germaniæ provinciis, a Pontificiis
 ad incitas redigentur, &, ut est Dan. 12: 7.
 vires populi sancti dissipabuntur. His enim
 peractis, tum demum ignis de cœlo descen-
 dens eos devorabit. *V.* Regerit Autor, Go-
 gum & Magogum esse longè alios hostes, quàm Be-
 stiam & Pseudoprophetam; quando Gogus &
 Mago-

Magogus v. 8. 10. manifestè distinguantur à *Bestia* & *Pseudopropheta*. Resp. α. *Gogum* & *Magogum*, *Bestiamque* & *Pseudoprophetam*, unos eosdemque esse hostes, vel inde liquere, quòd bellum *Apoc.* 19: 19. & c. 20: 8. memoratum, sit unum idemque bellum; ac victoria, c. 19: 20. & c. 20: 9. 10. memorata, una eademque victoria: quanquam hæc priore loco consideretur, ut de hostibus ipsis reportata; posteriore, ut reportata quoque de *Diabolo*, hostium illorum impulsore. Cujus rei manifestum nobis indicium dedit *Joannes*, cum *invitationem avium ad cœnam magnam*, ex prophetia de *Gogi* & *Magogi* strage depromptam, *Ezech.* 39: 4. 17. applicat ad cladem *Bestiæ* & *Pseudoprophetæ*, c. 19: 17. 18. non aliam ob causam, quam ut sciremus, eosdem illos, qui apud *Ezechielem* veniunt appellatione *Gogi* & *Magogi*, ab ipso explicari per *Bestiam* & *Pseudoprophetam*. Quemadmodum propterea quoque *C. 20: 8. 10.* *Gogum* & *Magogum* per *Bestiam* & *Pseudoprophetam* explicat. β. Proinde unum & idem significari, cum *Apoc.* 19: 20. *Bestia* & *Pseudopropheta* dicuntur *conjecti in stagnum ignis*; cumque c. 20: 9. *Gog* & *Magog* *igne a cœlo descendente* dicuntur *devorati*. Quod utrobique intelligendum est de igne non propriè dicto, & vitam eripiente, (*vivi enim in stagnum illud conjecti sunt, & vivi quoque igne isto consumti*;) sed figurato. Sicut *Esa.* 66: 24. ubi *cadavera illa homi-*

hominum a Deo deficientium, foras in tenebras extimas projecta, quorum ignis non extinguetur, &c. sunt coetus hominum, qui vivi mortui, 1. Tim. 5: 6. igne malè urentis conscientiaë, invidiaë, desperationis & sensus iræ divinaë, nunquam intermorituro, conflagrabit: & Esa. 30: 33. ubi memoratur *conjectio regis, Adversarii, in Tophet s. gehennam* (qui erat locus prope Hierosolymam, amœnus quidem, sed dirissimâ idololatriâ fœdatus, & deinceps sordibus cremandis destinatus) *quæ & latissimè patebit, & multis lignis atque accumulatione sulphuris inflammabitur: (Ubi LXX, verba Ebræa, נחל נפרית בערה בה ardet quasi rivus sulphuris in illo Tophet s. gehenna, reddiderunt, φαεγγζ, ὑπὸ θεῶν καιομένη, unde d. Apocal. 19: 20. verba λίμνη καιομένη ἐν τῷ θεῷ translata sive facta sunt,)* quæ *conjectio in lacum ignis, ardentem sulphure Zach. 14: 12. ita περιφερέσεις, quòd populis, adversus Hierosolymam belligeratis, super pedibus suis stantibus, adeoque vivis, caro & oculi & lingua tabescent. Quæ omnia illum exprimunt statum doloris & invidiaë, desperationis & malæ conscientiaë, in quo qui sè antè vivos, h. e. Christianos jactaverant, se a mortuis, h. e. gentilibus, nihil distare sentient, ex quo omni gloriâ suâ & spe exciderint, & fideles, quos odio internecino erant persequuti, viderint regno Dei pacato & glorioso perpetuùm gaudentes: similes tunc Judæis rejectaneis modernis, de qui.*

quibus in hunc sensum Matth. 8: 11. 12. Luc. 13: 28. c. 15: 24. coll. Matth. 22: 13. Sed in viam. Quòd verò non eadem utrobique (Apoc. 19: 20. c. 20: 9.) veniat phraseologia, ex quo probare Autor contra Deusingium nititur, Gogum & Magogum a Bestia & Pseudopropheta differre, certà non caret ratione, quæ hæc est, ut, dum *stagnum ignis*, in quod *hi con-*
jecti dicuntur, per *ignem, e caelo descendentem,*
 & *illos consumentem*, explicatur, intelligamus, innui iram Dei, e caelo manifestatam, ignisque instar urentem permanentemque. Quemadmodum nec abs ratione est, quòd Joannes mox, de Diabolo loquens, iterum phrasi mutatâ v. 10. dicat, eum *conjectum esse in stagnum ignis*; quæ hæc est, ut, dum idem, quod de Bestia & Pseudopropheta dixerat, c. 19: 20. hîc de Diabolo, eos seducente, repetit, ostendat, par fore utrorumque supplicium, nempe dolorem illum intolerabilem, qui ex sensu iræ divinæ & morte conscientiæ nascitur. Unde patet, verba illa, *ubi erat Bestia & Pseudopropheta*, (quæ respiciunt tum ad c. 19: 20. tum ad c. 20: 9. adeoque Bestiam & Pseudopropheta cum Gogo & Magogo conjungunt,) hoc valere, in quod modò conjecti erant Bestia & Pseudopropheta, qui sunt Gog & Magog, dum igne cœlesti conflagraverant. Nec moveat quenquam, quòd Driesseni-
us hujusmodi Variationem dicit obscuram red-
dere p̄ncip̄i sacram; quia gloria Dei est, rem ab-
 scon-

abscondere, & eam simul revelare. Prov. 25: 2. dum, filo abscondito, studium scrutandi acuit, & scrutatorem, illo ipsi in manum tradito, majori luce perfundit.

VI. Denique contendit Noster, Gogi & Magogi expeditionem Ezech. 38. sq. memoratam, non esse eandem cum illa, quæ Apoc. 20: 7. sq. refertur. Sed eam omnino eandem esse numero, vel hinc patet, quòd, sicut illa memoratur proximè ante templi Ezechielici (quæ regni Christi consummati figura est) descriptionem, Ezech. 40. sqq. ita hæc refertur proximè ante mentionem novæ Hierosolymæ, Apoc. 21. & 22. (quæ ejusdem rei figuram præbet.) Quòd si autem millennium Joannis, Apoc. 20. tempus regni Christi jam consummati designaret, ipse ordinem Ezechielis prorsus turbaret. Cum enim apud Ezechielem judicium Gogi & Magogi statum regni illius, ut dixi, antevertat, in Apocalypsi, inverso ordine, judicium Gogi & Magogi regno illi esset succedaneum. Atqui hoc de Joanne, cujus prophetia est ἀποκάλυψις prophetiarum V. T. cogitari nequit. Quòd & hoc corrui, quòd nova hæc Hierosolyma priscis vaticiniis fuerit ignorata, (quòd hîc in angustias reductum, dicere maluisse Autorem nostrum, quàm Veritati cedere, miror) quandoquidem in Apocalypsi nihil novi revelavit Deus, sed veterum tantum prophetiarum ἀποκάλυψιν Joanni tradidit. Quare Jesus Joh. 16: 13. pro-

promittit, Spiritum S. non loquuturum ex se ipso, sed, quæ audivis, locuturum, h. e. prænunciaturum, quæ in prophetiis jam olim erant prædicta, iisque novam lucem affusurum.

2. Demonstratum quoque fuerat, Martyres, qui sub persecutionibus Imperatorum gentilium morte multati erant, revixisse, dicit Apoc. 20: 4. non corporaliter, neque in sua persona, sed mysticè, & in gentibus, quæ, ipsorum excitata exemplis, Christo nomen dederunt: quemadmodum sanguis Martyrum esse solet, & tunc præsertim fuit, semen Ecclesie; & pari modo, quò parentes in liberis suis, Martyres in iis, qui virtute fidei & charitatis regenerantur, quodammodo reviviscunt. Quam expositionem, utut sic satis commodam ipsomet fatente, p. 63. eo tamen impugnat, I. quòd Johannes d. l. non viderit tantum securi percussos, sed & illos, qui Bestiam & imaginem ejus non adoraverant: Et quærit, an illi etiam tempore Constantini in sancto semine suo revixerunt? Sed respondere licet, Johannem hîc v. 4. & 13. duplicem memorare resurrectionem spiritualem, h. e. gentium in peccato mortuarum conversionem, (perinde ut in Evang. Joh. 5: 25. 28.) quarum prior, facta est sub millennii dicti initia; d. v. 4. posterior, futura est post illud exactum, v. 5. 13. Prior illa, fieri cœpit, cum illi, qui sub persecutionibus Imperatorum gentilium propter testimonium Jesu morte erant multati, revixerunt quasi in gentibus, quæ Constantini ævo, & deinceps, illorum exemplo exci-

tata ex superstitione ethnica ad fidem Christi, tanquam è morte in vitam transierunt, dum per ipsorum testimonium, morte confirmatum, veritati credebant; Cum sanguis Martyrum, ceu semen ecclesiæ, tantam produceret credentium multitudinem, quæ roris guttas æquaret. Psal. 110: 4. (Sic & *Ellas* in *Johanne* q̄s. revixit & rediit. Luc. 1:17. Mal. 4: 5.) Sed quoniam non omnes, qui eo tempore, assumpto nomine Christiano, revixisse videbantur, verè revixerant; visum est Deo, fidem eorum explorare, & verè viventes ab iis, qui vitam mentiebantur, veros fideles ab hypocritis, distinguere, 1. Cor. 11: 19. invec̄tâ, ipso connivente, in Ecclesiam apostasiâ, sive Bestiæ & imaginis ejus adoratione, hujusque receptione characteris. Quo tempore, qui non verè revixerant, Bestiam ejusque imaginem adorabant, h. e. in mortem secundam incidebant; at, qui, verâ fide præditi, verè revixerant, se conservabant ἀλώμους. Ap. 14:4.5. Quoniam tamen hi, quanquã ex gentibus illis, quæ revixerant, orti, ipsi tamen non tam revixerant, quàm vivebant, propterea utitur Joannes verbo ἐζήσαν, quod, si ad securi percussos referas, omnino explicandum est per ἀνέζησαν, revixerunt, d. Ap. 20: v. 5. (quo sensu ζῆν pro ἀναζῆν sæpissime usurpatur) ad illos tamen, qui characterem Antichristi non receperunt, relatum, reddi potest vixerunt, h. e. veræ vitæ, seu fidei, documenta manifesta dederunt.

Reliqui verò ex mortuis, h. e. reliquæ gentes, quæ tempore Constantini ac deinceps curren- te illo millennio , non revixerant , h. e. in morte gentilismi remanserant , post exactum illud demum revixerunt , cùm *mare* , h. e. ethnicismus adhuc reliquus , & simul *mors* at- que *infernus*, h. e. seductores & tyranni, coacti sunt *mortuos suos reddere* , quos vel idoloma- niâ suâ, vel seductione & tyrannide, in mor- te spirituali hæctenus retinuerant d. v. 13. ib. Quicquid Vir Cl. contrà dissertat, id verissi- mam hanc & simplicissimam verborum sen- tentiam non ferit.

II. Regerit, si *Millennium illud ad tempora Pa- patûs sit referendum*, dici non posse, *Ecclesiam illis temporibus cum Christo regnâsse*, (ut dicitur Apoc. 2c: 4.) *quando ea semper cum Christo regnet*. Sed resp. Ecclesiam semper quidem cum Christo re- gnare, sed non semper cum eo regnare regnan- te Bestia & Imagine ejus. Quod hîc, tanquam paradoxum aliquod & admirandum deprædica- tur. Res enim verè admiranda erat, quòd qui ex gentibus verè revixerant illo tempore, quò Draco thronum suum dederat Bestiæ, & quo altera mors, h. e. apostasia, in ecclesia graf- fabatur, nihilominus cum Christo regnarent, sancti & beati, utpote qui illo ipso tempore es- sent & sacerdotes & reges, in quos altera mors nullam habebat potestatem. Judicet nunc, qui volet atque valet.

Unum addo, de mille annis, C. 20. propriè utique, non verò propheticè (ut 42. menses

C. 11: 2. & anni $3\frac{1}{2}$, C. 12: 14.) pro totidem re-
 verà annis, quot illi dies efficiunt, cum Auto-
 re accipiendis. Nimirum gemina præsertim
 ex ratione vigentis maximè florentisque An-
 tichristianismi tempus, d. Apoc. 20. per *mille*
 annos, non propheticè, sed propriè, intelligen-
 dos, significari credo, *a.* ut numeri illi prophe-
 tici, *temporis, temporum, & dimidii temporis* h. e.
 anni, duorum annorum, & semestris, C. 12: 14.
trium dierum & *dimidii*, C. 11: 7. *quadraginta*
duorum mensium, C. 11: 2. C. 13: 5. & *dierum*
mille, ducentorum & sexaginta, d. C. 11: 3.
 C. 12: 6. (qui omnes eòdem recidunt, unum-
 que & idem tempus designant,) hac *annorum*
 mentione tanquam clavi, aperirentur; dum
 ex hoc M. annorum spatio (quod cum *diebus*
 illis coincidit, etsi fortè eundem terminum
 non attingat) constare potest, *dies* illos non
 esse propriè sumendos, sed propheticè: *b.* ut
 appareret, heic respici ad verba Psalmi 90: 4.
Mille anni sunt in oculis tuis, ut dies hesternus, &
vigilia nocturna. Quæ verba Petrus similiter de
 tempore isto, nostri quidem, at non Dei, re-
 spectu, diuturno Antichristianæ tyrannidis in-
 terpretatur 2. Ep. 3: 8. Quò labente servus ille
 malus dicebat, *Differt Dominus meus adventum;*
 Matth. 24: 48. Contrà quàm Petrus d. l: v. 9.
 asseverat.

Quod verò ad *æqualitatem* VII. periodorum
 Apocalypticarum, ab Autore assertam, atti-
 net, si vel maximè rectè se haberent cetera,
 mi-

mihi certè haud liquet, quâ illa ratione conciliari queat aut cum analogia prophetiarum, quæ periodorum fines (ex *eventibus* utique, unicuique adscriptis determinandos,) longè alios constituunt: ut vel ex Psal. 107. septem N. T. periodos satis luculenter describente, patet: aut cum scopo & fine, quem intendisse videtur Deus, cùm tempora N. T. in VII. partes distribuit; nempe ut *totum nomen suum*, Exod. 34: 6. 7. descriptum, & VII. virtutibus constans, harum demonstratione virtutum, septem temporibus faceret manifestum, quòque tempore quamque virtutem præcipuè exhibens atque ostentans. Quod si verum est, (uti sanè est, mihi ego prorsus cum aliis persuadeo,) *longanimitatis* Dei demonstratio procul dubio plus sibi depoposcit & exhausit temporis, quàm quidem virtutum reliquarum. Quæ & causa est, quòd seductio & tyrannis Antichristi, cujus tolerantia tam certè diuturna, Deus *μακροθυμίας* patientem animum suum (unde אַרְךָ אַפַּי tardus ad iram h. e. pœnam dicitur) ostendit, istam Ecclesiæ expresserit querimoniam, Psal. 77: 8. *An in seculum rejiciet Dominus, aut non perget benè velle amplius? Nunquid defecit in aeternum bonitas ejus? Finitumne est dictum in aetatem & aetatem? Nunquid oblitus est gratiam facere Deus omnipotens? An clausit per iram miserationes suas?* Conf. Pl. 74: 9. 10. & Apoc. 6: 9. 10. 11. item Apoc, 2: 21. & C. 10. 6.

CORONIS.

Manifesta Demonstratio.

Visum Mulieris Apocalyptica, in deserto à facie Serpentis per dies 1260. s. per $3\frac{1}{2}$ tempora, tuta atque nutrita, Apoc. 12: 6. 14. (adeoque Draco- nis, per 1000. annos ligati, Apoc. 20.) nec non binorum Testium, Civitatis sanctæ, a gen- tibus, atrium templi externum colentibus, per Menses 42. conculcata, d. Apoc. 11: 2. in ipsissi- mum Bestiæ decicornis, sanctos Mensibus 42. persequentis, Apoc. 13: 5. tempus coincidere; om- nesque illas temporum periodos a Constanti- norum ævo repetendas, sicque jam pariter ela- psas, esse. Adversus novam D. Driessenii hypo- thesin apocalypticam, nuper in Medit. ad Apo- cal. jactam.

Supponitur, ut verissimum utique, & ex- tra omnem dubitationis aleam posi- tum, a. Constantinorum ævo, Tyran- nis Romanis, sævis & infensissimis Chri- stianorum hætenus persecutoribus, pa- riter extinctis, ipsisque jam Imperatoribus Christianam fidem amplexis, insignium & fe- rè universalium Ecclesiæ in orbe Romano persecutionum periodum illam admodum no- tabilem, unà cum Diabolismo s. idolorum cul- tu, exspirasse, (ut adeò integrum tunc porro Satanæ non fuerit, Christianos per Imperato- res

res Romano-gentiles propter solum *Christi* nomen, ut antè, interficere, & aperto Marte fidei Christianæ contra ire) universumque tunc Romani Imperii orbem *Christi* nomine cœpisse appellari: ut ita non liceret porro Satanae, istius imperii gentes cum ad pristinam crassamque idololatriam, tum ad Christianorum persecutionem, uti antè, palam seducere atque instigare: his quippe, unà cum summis imperantibus suis, Christo jurantibus inque Ecclesiæ communionem admissis: licet, vel plurimi gentilem sensum animumque non mutaverint, sed animales carnalesq; esse non desierint. β. Ex eo maximè tempore Prophetarum & Apostolorum scripta glossis ac traditionibus humanis, variisque superstitionibus, cœpisse obscurari; studiumque & auctoritatem sacrarum literarum paulatim evilescente, Spiritu atque efficaciam earundem quasi mortuam; externam licet literam adhuc superstite ac salvam. γ. Ex eo etiam tempore, adolescente jam hierarchiam, Episcoporum *πρωτοκαθεδρίας* s. *thronos* erectos esse atque stabilitos, eorumque auctoritatem immensum indies in modum auctam, & Romani imprimis præminentiam, in summum paulatim fastigium evectam, ad inducendam ab evangelii veritate defectiorem cœpisse vergere: adeoque ex hoc ecclesiam Christianam *extrinsecus* licet ornatam & insigniter amplificatam, inque throno quasi collocatam, *intrinsecus* tamen perquam notabiliter esse depravatam.

Quæ jam cum ita sint, (nemo enim illa, nisi rerum & historiæ sacræ prorsus ignarus, negaverit,) nihil utique verisimilius saltem, quàm ab illo Constantinorum ævo *a. Mulierem h. e. Ecclesiam Apostolico-Catholicam, hætenus a Dracone afflictam, a facie, h. e. ira, ejus tutam, in loco deserti s. gentilismi, ipsi divinitus destinato per 3½. annos, s. dies 1260. esse nutritam; Apoc. 12:1. 6. 14. Bestiamque decicornem* (ecclesiam Romano-Catholicam) Dracone jam devicto, cœloque ejecto & coercito, *e mari* (gentilismi) *adscendisse*, & in locum ac thronum Draconis successisse, inque Sanctos tantodem temporis spatio (per Menses 42.) ferocivisse: Apoc. 13. 1. 2. 5. sive, quod idem est, *Gentiles, in atrium templi externum* intromissos, *civitatem sanctam* (Ecclesiam veram) per *menses 42.* (qui itidem dies 1260. faciunt) *calcasse* magis, quàm *ædificasse*. Apoc. 11:2. *β.* Ex eo etiam tempore *binos testes* (h. e. Prophetas & Apostolos, per Scripturas loquentes) in saccis testimonium suum per *dies, h. e. annos, 1260.* perhibuisse; eorumque occisorum corpora, spiritu cassa, insepulta per idem tempus in plateis magnæ civitatis imperii Antichristiani jacuisse. d. Apoc. 11:3. 7. 8. *γ.* *Bestiam etiam bicornem è terra, s. ipsâ ecclesiâ, exortam, Apoc. 13:11. ff.* (seu parvum Bestiæ decicornis cornu, Dan. 7:8. 20.) eundemque Pseudopphetam, Apoc. 19; 20. coll. C. 13:14. & Meretricem Babylonicam, Apoc.

17: 1. ff. (f. Jesabelem mysticam, Apoc. 2: 20. ff. h. e. Clerum Antichristianum,) coram Bestia decicorni signa sua mendacia ostentantem, ex eodem tempore suâ homines auctoritate ad faciendam adorandamque Bestiæ huic imaginem, (ecclesiam illam catholicam quasi repræsentantem) & ad colendam falsam religionem f. superstitionem, induxisse: d. Apoc. 13: 14. sq. Adeoque & dies 1260. f. 3½. tempora (h. e. annos) nutritæ in deserto Mulieris, & Menses 42. gentium, atrium templi externum occupantium, Civitatemque sanctam calcantium; nec non dies 1260. binorum Testium, in sacco prophetantium, eorumdemque occisorum, & per 3½. dies usque ad subsequutam eorum resurrectionem insepultorum; (æque ac mille annos ligati Draconis, Apoc. 20.) cum Mensibus 42. Bestiæ decicornis, sanctos, post devictum jam coeloque ejectum & coercitum Draconem, traditamque sibi ab illo potestatem ac thronum, bello persequentis, Apoc. 13: 1. 2. 5. in unum idemque tempus convenire, & pariter jam elapsos esse. Q. E. D.

Μόνη Θεῶν δόξα.

JACOBI HASAEI
ANALECTA BIBLICA

feu

OBSERVATIONES

ad illustria quædam S. CODICIS loca, de quibus in *classe prima* disceptatum est.

Ad

celeberrimos *Bremensium* Theologos

hujus *Bibliothecæ Theologicæ* promos condos.

ARGUMENTUM.

Scriptio- nis hujus *occafio* ejusque rationes §. 1. locus Jerem. XXX, 21. nova luce perfusus. *Duplex* in eo latet *exergafia*, Gen. XLIX, 10. illustratum. §. 2. Exempla fimilis *exergafia* ex Jerem. Cap. XXXI. & XXXII. proferuntur. Eisdem & in N. T. reperire licet. Marc. II, 19. lux. §. 3. Actor; XXVII, 9. *νηστία* non indicat *Thefnophoria* sed *diem expiationis*, tempus *feriarum vindemialium* & quo *Minutii Felicis* dialogus habitus, alia. §. 4. 5. Versio Alexandrina tituli Psal. XXII. elucidatur. *ἀντίληψις*, *auxilium*, *ἀντιλαμβάνομαι*, *ἀντιλήπτωρ*, *συναντίληψις*. §. 6. Conjectura de *occafione* scriptio- nis hujus Psalmi §. 7. Vox *ἀντίληψις* respondet Hebræo *לָקַח*. Voces ex eadem radice *potentiam*, *robur*, indicant. Occurritur objectioni Bocharti *לָקַח* &

& אילות non nisi orthographia differunt. & sæpius o-
mittitur. §. 8. Alteri object. satisfit. שחר potest no-
tionem aurorae retinere servata altera nigredinis, no-
tat sæpe colorem ex nigro alioque mixtum. §. 9.
ænigma de numero bestia Apoc. XIII, 18. non nisi ex
stylo Cabalístico eruendum. Σοφία est חכמה seu ars
Cabbalistica. Bestia habuit verum nomen characteri-
sticum Hebræum, quod nunc difficile inventu est. §. 10.
Hariolatio num illud sit forsitan vox מררות quæ nu-
merum 666. continet. §. 11. Confirmatur emendatio
apud LXX. Pl. CXXXIX, 9. שחר Alexandrini red-
dunt per ὄρθρον & ἑωθινὴν aut ἑωςφώρον. §. 12. Excer-
pta ex litt. d. Mosheimii quibus sententiam exponit
super ea loca quæ sect. IV. Fasc. III. illustrata sunt.
§. 13. Nostra ad ea responsio. Curetes & Corybautes
qua ratione iidem & diversi. Curetes primi Cretæ in-
colae. Ea dicta Curetis. Curetidis & Curetum etymon
a קרת Creta multis urbibus nobilis. Alia Creta seu
כרת in Palaestina. De כרתים. LXX. Interpretum
versio Zeph. II, 5. & Ezech. XXV, 16. defensa §. 14.
Quæ ad Luc. XVI, 13. & Matth. VI, 24. illustratio-
nem de feudo ligio prolata, illustrantur. §. 15. Luc.
IV, 39. nostra explicatio melior vulgari. Celeb. Bur-
manni de hoc loco cogitatio. §. 16. φῶς pro σωτηρία.
Matth. IV, 16. Joh. I, 4. Es. XLIX, 6. Uti Christus,
sic & ei oppositus Aesculapius appellatus φῶς μέγα
ἀνθρώπων §. 17. Actor. XIX, 11. illustratum. Vis lito-
tetos ejusque ex sacris & profanis exempla. §. 18.
νέφος, nubes נענע pro multitudine. Hebr. XII, 1. Na-
hum. I, 3. lux. §. 19. Excerpta ex litt. celeb. Rossal-
li de uxore οὐκέρω Tit. II, 5. Emendatur Etymolog. M.
§. 20. Responsio ad celeb. Rossallum qua sententia
Relandi de Uxore Domiseda examinatur. Judicium de
ejusd. diff. de Tryphone Judæo. Bezae lapsus nati ex
studio contradicendi Vulgato interpreti §. 21. Ejus
& Alexandrinorum eruditio & in vertendo fides.
Vulgato adstipulatur Hesychius. §. 22. οὐκέρω notat
domus

domus curam habere. Græcis ἔπος, ἄρα & ἄρα descendunt ex Hebr. נָחַם quam notionem habere curae observatur. Scholiastes Aristoph. emendatus. ἀκοιδεσποτεῖν I. Tim. V, 14. est *familiae imperare.* §. 23. Notio ἀικερός pro *domus curam habente* aliis argum. adstruitur. §. 24. Mulier ἀγαθή est *benigna & liberalis.* §. 25. Psalmi primi argumentum, scopus, analysis, schemata, & sensus exhibentur. §. 26, 27. Conjectura de origine omissionis verborum Joh. V, ψ. 3. & 4. in Cod. Paris. aliisque, quæ à Scholii nota liberantur. §. 28. Hariolatio an Hebr. XI, 37. pro μηλατή substituendum καλλατή? §. 29. Syrac. XLI, 1. emendatur. §. 30. Theologi Groningensis observatio in locum Gal. IV, 25. 26. Num significatio vocum *Agar & Arabia* loci *Allegoriam* illustrent? §. 31. Cl. Rossalli explicatio loci Philip. III, 9. §. 32. Item Phil. II, 2. φρόνημα pro actu voluntatis §. 33. Sententia nostra de *accumulatione plurimorum phrasium idem significantium* in N. T. dilucida oratione explicatur. De *duplici genere tautologiae.* Luc. II, 14. de diversitate styli *Asiatici & Europæi.* §. 34--36. Hof. XII, 6. vulgaris lectio defensa, locique sensus exhibitus. ψ. 4--7. illustrantur. & ejusdem potestatis litteræ. §. 37. 38. Conclusio §. 39.

I.
QUOD, fortunantibus divini Numinis auspiciis, & favente studiis vestris eruditorum ordine, in eo nunc sitis, ut *Bibliothecæ Theologicae* secundam classem ad finem perducatis, ex animi sententia eo nomine gratulor VOBIS, Viri summe Reverendi & Celeberrimi. Quamprimum illud consilii vestri, de ea sacri & eruditi ordinis bono condenda, mecum communica-

nicabitur, statim ex ipsis rerum argumentis in-
 stitutique præclari legibus, augurium cœpi,
 hanc rem, uti cum insigni rerum sacrarum
 veræque eruditionis & pietatis incremento
 fore conjunctam, ita & suos, quibus voluptas
 est rebus gravibus & ad scientiarum religio-
 nisque emendatæ augmentum conducentibus
 animum pascere, ubivis locorum nacturam a-
 micos & favitores. Qua in re haud falsum
 augurem me fuisse, distracta non solum intra
 paucos temporis articulos priorum fasciculo-
 rum exempla, & ceterorum avidius desiderium,
 sed & egregiæ lucubrationes, quas viri
 longe eruditissimi variis ex locis, ut partem
 facerent & numerum hujus bibliothecæ, ad
 vos miserunt, luculento erunt testimonio.
 Quapropter ut id moliminis, quod in hono-
 rem Dei eruditique orbis commodum susce-
 pistis, porro VOBIS bene feliciterque vor-
 tat supremum Numen largeque benedictioni-
 bus suis cumulet, summum in modum com-
 precor. Cum vero & vobis placuerit me
 non solum in partem consilii hujus laboris
 vestri vocare, sed & rogare serio ut & meis
 in SS. literarum loca meditationibus subinde
 vobis essem auxilio, id quidem pro eo quod
 inter nos est & cognationis & amicitiae jure,
 vobis denegare haud potui, quamvis verebar
 ne, dum nostra inter tot politissimorum ho-
 minum scripta locum ut quidem factum est,
 nanciscerentur, si non dedecori, certe tamen
 haud

haud quaquam ornamento Bibliothecæ vestræ cessura sint, ad cuius augendum, haud quaquam vero minuendum decus me plurima conferre posse exoptabam. Ceterum cum & quotiescunque una essemus, egoque suavissima amicitiae vestræ jucunditate perfruebar, eruditionisque copia dein auctior ad mea redii, libere vobis de variis SS. litterarum locis, quæ in his fasciculis multo alias eruditionis lumine illustrata sunt, & meam, quæ animo sederet, sententiam narrarem, vobisque illam haud displicere, atque in ultimo fasciculo vos *analecta* quædam exhibituros intellexerim, & heic loci me eam symbolam collaturum spondi, quam ab ingenii nostri mediocritate polliceri poteratis. Dum itaque in eo sum, ut cogitata mea Chartæ committerem, me rerum variarum copia ita circummunitum videbam, ut, si omnia, quæ meditatatus eram, promerem, me non *analecta* sed integrum fasciculum conditurum persentiscerem. Nihilo tamen secius quamvis modo summam rerum legissem, propriaque tantummodo, quantum quidem constat, cogitata, scripto consignassem: ita tamen ut & aliorum eruditorum hominum novas observationes interposuerim, imo quamvis ab omnibus Criticis emendationibus locorum S. Scripturæ mihi temperaverim, quæ alias haud exiguan. partem fecissent hujus operæ: in eum tamen hæc ipsa exerevere numerum, ut
 pensi-

pensitata prima ad classem alteram lacertos
 movere, ut quidem animus fuit, ob auctam
 adeo dissertationis molem & leges instituti ve-
 stri haud opportunum fore duxerim, utpote
 qui & doceri aliorum opera quam docere a-
 lios mea paratior sum. Interea tamen loci
 hæc, quali acunque demum sint, venerabilibus
 vestris nominibus, Viri admodum Reveren-
 di nuncupare volui, ut, cum alia ex re haud
 facultas mihi concessa sit, hoc publico saltem
 documento testatum facerem, me eruditio-
 nem vestram non modo ac pietatem facere
 maximi, sed & amicitia vestra mihi nihil an-
 tiquius esse aut jucundius.

II. Interpretes ad locum Jerem. XXX, 21.
 quem celeb. *D'Outreinius* illustrat Cl. 1. fasc. 1.
 sect. 1. non animadverterunt latere illic figu-
 ram, quam Rhetorum filii *exergasiam* vocant,
 cujusmodi abundant Hebræorum litteræ, in
 primis eorundem *vaticinia* & *poëmata*; Exem-
 pla quædam sed oppido pauca, cum millena
 extent notavit *Glassius* Rhet. S. L. V. tr. II.
 Cap. 7. p. 2051. Verum de eadem *peculiare*
schediasma, quod avide expectamus, vir in his
 studiis longe exquisitissimus, varioque erudi-
 tionis apparatu nobilissimus *Chr. Schoettgenius*
 promisit in diss. de *Schilo* dominatore ad Gen.
 XLIX, 10. edita proximo anno Francofurti
 ad Viadrum, §. 3. ubi & nonnulla ejus docu-
 menta exhibet. Est autem *exergasia*, cum duo
 commata verbis quidem diversis concepta sunt, sed
 quæ

que unam eandemque sententiam conficiunt. Atque hujusmodi duplex in hoc loco reperitur. Prima in his verbis

ממנו	ארירו	והיה
מקרבו	מושלו	ויצא
Et erit	Magnificus ejus	ex ipso
et egredietur	Dominator ejus	ex medio ejus

Altera in his latet:

והקרבתיו	Et ipsum	appropinquare faciam	---
ונגש אלי	Et sc. ipse	accedet	ad me

Sequentia autem verba Nam quis est qui cum torde suo &c. exhibent antecedentium Jehovahæ verborum rationem dicentis SE (& non alium) operaturum ut Dominator ille ad ipsum accedat, quia nemo est qui ceteroquin id præstare possit. His autem animadversis in apricam lucem hæc verba collocari, nemo diffitebitur. Si quis autem refractarius esset quo hanc exergasiam latere ille agnoscat, is pereruditam illam quam citavimus dissertationem Cl. Schoettgenii attenta mente perlegat, qua docte animadvertit ejusmodi exergasiam duplicem ut alibi ita æque in loco Gen. XLIX, 10. II. latere. Prioris enim commatis prior pars quod cum nostro loco sensu parallela sit, summa digna est animadversione, quod, collatione facta, sibi invicem egregiam lucem foenerentur.

(1) Non recedet	sceptrum	de Juda
-----	princeps	ex medio pedum ejus
(2) Donec veniat	Dominator	
sc. Et veniat	is cui gentes obedient.	

Utra-

Utraque hæc vaticinia agunt de eodem subje-
cto sc. *adventu Messia*, atque pari stylo voci-
busque idem significantibus scripta sunt.
Nam quæ in loco Geneleos dicuntur de *Juda*,
ea hic de *Jacobo* seu posteris *Jacobi*, cujus fi-
lius *Juda* erat, proferuntur, vide *ψ. 18.* Hinc,
quod ibi לא יסור לא non recedet, id hic dicitur
ויהי ערית, atque ויצא עגredietur princeps.
Atque quod ibi est שבט & מחוקק id hic est
ימושל & אדיר. Tum nostrum ממנו cum illo
מיהודה & מקרבו cum מבין רגליי pari signifi-
catione scriptum extat. Apparet eapropter
מקרבו omnino referendum esse ad notionem
generationis quod idem sit ac è *lumbis & femore*
egredi, ad quam & יצא egredi familiari He-
bræorum locutione pertinet. Respicitur e-
nim ad indolem *puerperii*, quo homo non mo-
do egreditur è medio hominis, sed &, ut dilu-
cidior sermo est, *Gen. XLIX, 10.* & *Deut.*
XXVIII, 57. מבין רגליי è *MEDIO PEDUM*
ejus: ita ut in priori phrasi loci *Jeremiæ* sit el-
lipsis vocis רגלים pedum, cujusmodi in *Hebræa*
nec minus ac in aliis linguis quamplurimæ
sunt ellipses.

III. Nequis autem controversiam mihi mo-
veat de *exergasia* heic loci apud *Jeremiam*, is
sciat ejusmodi innumeras apud eundem, sicut
omnes prophetas, reperiri. Attendat ani-
mum lector modo ad exempla quæ cum ex
antecedentibus, tum *consequentibus* depromimus.
Aliud dictum *Jehovæ* extat *ψ. 8.*

conteram	jugum	à collo ipsorum
Et dirumpam	vincula	eorum sc. a membris eorum.

quæ quidem aliis concepta verbis, vi tamen exergasiæ sunt ejusdem significationis, nimirum liberabo eos à servitute. Sic à vs. 16-20. nullum reperitur comma, in quo non idem schema clarissime deprehendas, quod eruendum tuæ industriæ, ne hic prolixior sim, relinquo. Cap. XXXI. idem sæpissime pariter invenitur in dictis Dei, ut v. 16. exempli causa

Vox tua	desistat	à clamore
Et oculi tui	-- -- --	à fletu

Quæ id paucis sibi volunt, desiste à tristitia quam homines clamoris & fletus indicia manifestant. Neque ego dubito quin earundem locutionum magna seges reperiatur in N. T. eoque referenda sint loca permulta quæ alia phrasi eandem exhibent sententiam, quorum varia in diff. de Glossematibus N. T. in Cl. I. fasc. V. §. XI. seqq. exhibuimus, quod alias pluribus demonstraturi, nunc unico exemplo illustrabimus ex dicto Sospitatoris Marc. II: 9.

οἱ υἱοὶ τῆς νυμφῆος	μὴ δύνασθαι νησεῖεν	ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μέλει
-- -- --	ἢ δύνασθαι νησεύειν	αὐτῶν ἐστὶ
		ὅσον χρόνον κ.τ.λ.

in posteriori enim commate verba οἱ υἱοὶ τῆς νυμφῆος

συμφωνος sunt ex priori ἀπὸ κοινῆ repetenda, id quod millenis constat exemplis. Confer quæ dein §. 35. dicentur. Has similesque figuras Rhetoricas ex stylo *populorum orientali-um* nisi quis scripturæ interpres sedulo animadvertat, sed omnes contra locutiones *Asiaticorum* populorum ad stylum *Europæorum* exigere vellet, ex earum negligentia non solum in SS. litt. intelligentiâ parum proficiet, sed & altera obscura diligentia sibi inexplicabiles frustra nodos necet.

IV. Class. I. Sect. II. §. 2. 3. per *ἡσείαν* Act. XXVII, 9. intelligendum esse festum *Judeorum* & quidem *diem expiationis magnum*, (quem hinc æque ac תענית *jejunium*, per excellentiam כמ"י h. e. *diem* vocant Judæi ut ex libro Talmudico hoc inscripto titulo & à doctissimo *Sheringhamio* notis illustrato apparet) disputa- vi. Video tamen nonnullos *Paulum Colomesium* in suas pertraxisse partes, qui *Sacr. Obs.* p. 589. Ed. Fabric. contendit hoc nomine *Paulum Græcorum Thesmophoria* indicare, quibus Athenis mos erat in honorem *Cereris jejunium* celebrare. Verum observari velim in hac *Alexandrina* navi, qua usi, fuisse vel *Judeos* vel *Agyptios* maximam partem, paucos fortasse *Græcos*. Nam *Agyptiam* fuisse hanc navem *Alexandrinam* dubium non est, quod & docui in *Diss. de Navib. Alexandr.* Cap. I. Qua igitur specie crederes *Paulum*, ipsum gente *Judeum* & patriarum consuetudinum peritissi-

mum hic *Græcorum* festi mentionem fecisse?
 Plura alia sunt quæ hanc sententiam funditus
 convellunt, quæ legat ector in pererudita
 Dissert. *Petri Adolphi Boyser* quam nomine
Eclogarum Archaeologicarum ad difficiæ Pauli iter
 Act. XXVII, 9. inscripsit, edita Halæ Anno
 cl. lcccXIII. 4. cujus §. 7. 8. ea Colomesii
 docte satis confutata videbit, quamque, cum
 nostra edebamus, nondum adepti fuimus.
 Observanda quoque sunt quæ idem vir doctus
 de *difficili navigatione* circa *μετοπωρεννῶν ἰσημερίαν*
 seu *æquinoctium autumnale* (in cujus tempus in-
 cidere *f. stum Expiationis* seu *יום הכפורים* tra-
 dit Philo in Flaccum) & *Pleiadum occasum* ex
 veterum scriptis notavit §. 9. iis quæ ipsi §. 4-
 8. scripsimus, jungenda. Idem & Castellio-
 ni satisfecit, §. 5. locum mendii accusanti pro
ἡμερίαν substituendo *ἡμερίαν* ut Codicum au-
 toritate sic omni similitudine veri destituto.
 In eadem vero dissertatione mea p. 34. lin. 5:
 pro *Martio* lege *Januario*.

V. Nonnulla etiam ad illustrandam hanc
 dissertationem nostram scripsit vir elegantif-
 simæ doctrinæ *Job. Laur. Moshemius* in litteris
 ad virum Maxime reverendum *Frid. Adolph.
 Lampe*, communem amicum, quæ, ut ab eo
 mecum benevole communicata sunt, his adda-
 mus. „Habet profecto & suas veneres ele-
 „gans docti illius viri de *Navigazione Pauli* ob-
 „servatio inquit. Quod Act. 27, 9. *ἡμερία* dies Tisri,
 „X. sit, lubens Cl. Viro assentior. Lepidus
 pro-

„ profecto est, quem non tetigit vir egregius,
 „ P. Colomesius in sacris, ut vocat, observat.
 „ Opp. p. 589. qui Lucam ad *Thesmophoriorum*
 „ diem hic respexisse, somniat, quo Græcæ, sed
 „ & Romanæ mulieres, ut ex Cicerone me-
 „ olim observasse memini, in Cereris memo-
 „ riam omni cibo abstinere consueverunt,
 „ quive, ut vel ex Plutarcho Vita Demo-
 „ sthenis T. III. Vit. parall. pag. 23. constat, in
 „ XVI. mensis *Pyanepsionis* diem incidebat h. e.
 „ ut Colomesius existimat, *Novembris*. De-
 „ mus id Colomesio, *Pyanepsionem* nostro
 „ cum *Novembri* componi posse, etiamsi non-
 „ dum videam cur *Theodori Gazæ* repudi-
 „ andæ sint rationes, qui non inepto de *men-*
 „ *sibus Græcorum* libello hunc mensem nostro
 „ *Octobri* respondere existimat: *Novembrem*
 „ ad sequentem *ἀνδρηνεῖων* dictum, refert. De-
 „ mus id, inquam, homini. Num vero tan-
 „ ta Jejunii hujus muliebris unquam fuit ce-
 „ lebritas, ut ab hoc sanctus scriptor singula-
 „ rem temporis notam repeteret? Alius cre-
 „ dat. Mihi *Judaica* sacra divinum virum no-
 „ minasse, extra omne dubium positum vide-
 „ tur. Quod si à *Gentium* quodam ritu præter-
 „ lapsum tempus denotare voluisset, cur non
 „ potius *Pyanepsia* sacra, (aut, si *Eustathium*
 „ ad *Iliad. XXII.* audiamus *πυανέψια*) unde
 „ mensis iste *Πυανεψίων* nomen duxerat, longe
 „ illis celebriora, ipsisque *Calendis* mensis ob-
 „ servata, potuisset? Sed quid hominem re-

„fello , qui fortassis librorum indicibus con-
 „scribendis natus , non Codici sacro interpre-
 „tando erat ? Felicis fane , ut ex opusculis ejus
 „apparet , memoriæ fuit , sed , aut omnia me
 „fallunt , aut judicium curatius expectabat.
 „Quæ de maris *clausi & aperti* apud Græcos
 „Romanosque tempore eleganter Cl. *Haseus*
 „disputat , luculentum *Minutii Felicis* locum
 „mihi in memoriam revocarunt , quo , quam
 „plane contra Romanorum morem egerint
 „Act. XXVII. v. 11. nautæ illi , ea tempestate
 „pelago se committentes , quamve fuerit op-
 „portuna D. Pauli cohortatio v. 10. compro-
 „batur. *Autumni* sub initium Dialogum hunc
 „esse habitum , ipse Minutius indicat. Pote-
 „rat enim *Ostiam* cum familiari suo Octavio
 „commigrare , quoniam ad *vindemiam feriæ*
 „judiciariam ipsius *curam relaxaverant*. Nam ita
 „pergit p. m. 324. Edit. Paris. 1605. in 8. *id*
 „temporis post *æstivam diem in temperiem semet*
 „autumnitas dirigebat. Ibi vero cum deambu-
 „lando maris oram animi causa legerent ,
 „naves jam eum , quo ex more veterum hy-
 „berno tempore quiescebant , locum occupa-
 „verant. Et , ait Minucius p. 325. *cum ad id*
 „loci ventum est , ubi *subductæ naviculæ substratis*
 „roboribus à *terrena labe quiescebant* , pueros *vi-*
 „demus *certatim gestientes &c.* Ergo navigationis jam
 „finis factus erat , etiamsi *clausi maris* tempus
 „nondum adesset. *Vindemiales* quæ fuerint eo-
 „rum *feriæ* , qui *causis dicundis operabantur* ,
 ex

„ex Theodosii M. & Valentiniani decreto li-
 „quido cognoscitur in Cod. Theodos. L. II.
 „Tit. VIII. de *Feris* p. 121. Tom. I. Ed. Gotho-
 „fredi. *A. X. autem*, inquit, *Kalend. Septembres*
 „*usque in Idus Octobres vindemiales Ferie conce-*
 „*dantur.* Quam consuetudinem ante hos et-
 „iam Imperatores diu floruisse, ex multis lo-
 „cis colligitur. Concedamus itaque, ad fi-
 „nem jam vergente mense *Septembri* Minu-
 „cium suo cum Octavio deambulationem hanc
 „instituisse, multum tamen adhuc temporis
 „ad III. Eid. *Novembr.* reliquum erat, quibus
 „*mare claudere Romanis* in more erat positum.
 „Robur hic locus alteri illi Vegetiano addit à Cl.
 „*Haseo* observato, aperteque docet, quam
 „cauti in exercenda navigatione Romani
 „fuerint, qui, ne quid caperent detrimenti,
 „otia navibus more citius fecerant, quam im-
 „providi nautæ Paulini, qui intempestive
 „plane fluctibus se credere cupiebant. Vo-
 „ces *μετὰ τρεῖς μῆνας* optime Vir cl. explicat p.
 „31. Expers sit Græcarum litterarum, qui
 „nesciat optimis scriptoribus *μεθ' ἡμέρων* diem
 „adhuc *decurrentem* non vero præterlapsum
 „denotare. Cur itaque non *μετὰ τρεῖς ἡμέρας*,
 „*tertio die*, *μετὰ τρεῖς μῆνας* *tertio mense*, signifi-
 „cet? Hactenus cultissimus Moshemius, cu-
 „jus observationi de *tempore* scripti Dialogi Mi-
 „nutii Felicis, quod *autumno* contigerit, addi
 „hæc possunt quæ prope finem cap. 5. legimus.
 „*Ecce arbuta frugifera, ecce jam segos, cana, jam*

temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine ceditur. Præfens enim regionum conditio & indoles, exsertis quasi digitis monstratur à deambulantibus duumviris.

VI. Bonum factum est quod tandem aliquando, ut sæpius optaveram, Sect. III. §. 2. 3. pervulgatam sententiam de titulo Psalmi XXII. qua אֵלֶּת הַשָּׁחַר *cervam aurora* explicant, profligatam viderim. Ea sane mihi semper adeo dura visa est & extra omnem speciem veri posita, ut miratus fuissim qui adeo tantum non omnium fere ad sensum nancisci potuerit, nisi scivissim quid Cocceji Bocharti & aliorum autoritates, qui eam amplexi sunt, apud plerosque possint. Liceat vero mihi, cum sententiarum arbiter sedere nolim, tantum hoc agere, quo in lucem vitamque denuo redeat pridem intermortuam Alexandrinorum interpretum versio, omnium non modo *antiquissima*, cuique eapropter in controversiis princeps locus dandus si id commode possit fieri, sed & ab *utriusque* linguæ *peritissimis* interpretibus profecta, quæque eo scripta tempore quo Hebræus Græcusque sermo purior etiamnum vigeat florebatque. Illi vero hæc verba eum reddidere in modum ὑπὲρ τῆς ἀνπλήψεως τῆς ἐωθινῆς hoc est *pro auxilio matutino* seu *Ocyssimo* adipiscendo. Neque hoc fortuito accidit quod eis Symmachus accedat ὑπὲρ τῆς βοήθειας τῆς ὀρθρινῆς explicans. Idem quippe est ἀνπλήψις quod βοήθεια *auxilium*

um idque ex vi præpositionis ἀντι, quæ in compositis sæpissime vicissitudinem notat, quod ea quæ se mutuo prehendunt sibi etiam auxilio sint & adiutorio. Hesychius ἀντιλαμβάνεται explicat βοηθεῖ opitulatur, ceteraque Græca lexica idem docebunt. Hinc ἀντιλαμβάνεσθαι ἅπασιν omnibus opitulari Attice dicitur apud Aristoph. Pac. v. 484. Sæpius occurrit in libris Juridicis prisco ævo Græce scriptis, ubi de auxilio agitur, ut Novell. XIII. Cap. I. §. I. οἱ τῆς εὐταξίας αὐτῶν ἀντιλαμβάνόμενοι qui (Prætores) quietem ejus (populi) defendunt ut doctissimus Hombergius reddidit, hoc est, qui ea in re populo auxilio sunt ut quietem nanciscatur. Sic justitiæ succurrere eamque vindicare auxilio suo est ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς δικαίης ibid. Cap. III. pr. Sæpius etiam in SS. litteris, ut Luc. I, 54, & XX, 35. ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων infirmis opitulari. Idem ex decompositis συναντιλαμβάνομαι & συναντίληψις apparet quæ vix ullibi alio sensu reperiuntur, & voce ἀντιλήψω denotante auxiliatorem seu βοηθόν. Consule Græcos interpretes Psalm. LIX, 9. 18. & passim. Et quid multis? Hoc ipso Psalmo v. 20. apud eosdem interpretes occurrit Σὺ δὲ, κύειε μὴ μακρύνῃς τὴν ΒΟΗΘΕΙΑΝ μᾶ, εἰς τὴν ΑΝΤΙΑΨΙΝ μᾶ πρόχες. Ubi ex vi exergasiæ, illic æque occurrentis, apparet, ut in Hebræo אָנַח & אָנַח, sic apud Græcos βοηθεῖαν & ἀντίληψιν voces esse æquipollentes. Sic & ἀντιλήψεις opitulationes sunt diaconi opitulantes I. Cor. XII, 28.

VII. Quemadmodum vero plurimæ psal-
 morum ἐμπεραῖ eorundem argumentum exhibent & occasionem scripti hymni, ut Psalmi V. VII. IX. XVII. XXIX. XXX. XXXI. XXXIII. XXXVII. XLIV. &c. ita & hæc eo commode referri posset inscriptio. Totus enim continet hymnus ille *quiritationem* & implorationem pro *auxilio* & levamine *malorum* ad supremum Numen, quod toties repetitis ideo precibus imploratur, inprimis v. 1: 8. v. 20. 21. Imo videtur psalmus tempore *matutino* compositus esse à Davide cum *antecedentibus* diebus & *nocte* pene præterita toties Deum invocasset, nondum tamen eum σωτηριεγε natus, idque ex v. 2. colligo: Deus, inquit, per *DIES* ad te clamo, & non exaudivisti; & *NOCTE* quiritatus sum. &c. Inde ἐν ὁρῶντων tempore *MATUTINO* preces suas, ardentissimi desiderii testes, quo summi numinis *auxilium* tandem aliquando expugnet, repetiit. Atque omnia hæc adprime etiam conveniunt Christo qui hujus Threni verbis ipse usus est cum *matutino* tempore inter summos dolores ex infelici ligno pendeat. Matth. XXVII, 46. Marc. XV, 34. Neque minus ἐωθινός potest pro *præpropere*, & *ocysimo* capi *auxilio* ut *matutina celerrima* quæque, & inprimis *matutinum auxilium* latini æque ac Germani vocant *frühe Hülffe* seu quod *celerrime* præsto est. Hebræi enim, rem *celeriter* adventuram indicaturi, id factum iri dicunt כשרר ως ὁρῶντων *instar* præ-

præpropere advenientis *aurora* Joël II, 2. Ho-
seæ VI: 4. 5. &c. Eodemque sensu omnia; &
propheticæ de Christo Patrem ardentissimis in
cruce suspiriis invocante, ut quam *ocysime*
opituletur intelligi possunt, quo nihil hac expli-
catione communi de hujus psalmi sensu hy-
pothesi decedat.

VIII. Præterea vox ἀντιλήψεως bene He-
bræum אֵילֵא explicare diceres. Nam qui *au-*
xilio esse volunt, *potentes* esse debent, quia
potentia ad *auxilium* requiritur, unde & v. 20.
אֵילֵא recte ἀντίληψιν itidem reddidere Alexan-
drini, aliis per *robur*, *virtutem* explicantibus
quæ significationes *subordinate* sunt. Est enim
אֵילֵא ex אֵילֵא *ajal* unde אֵילֵא *ejal* quæ vox *poten-*
tiam δύναμιν, *robur* indicat. Hinc & אֵילֵא *ajil*
denotat *suggrundia* & *projecturas* in ædificiis,
quod illæ *auxilio* sint domui ejusque molem
sustineant: uti & qui alteri *opitulatur* eum su-
stinet ut imbecilliosem. Aequè inde אֵילֵא (*ajil*)
aries & אֵילֵא (*ajal*) *cervus* nomen propter eo-
rum *fortitudinem* accepere ut dudum Bochar-
to observatum est. Idem etiam vir summus
Hieroz P. I. L. III. Cap. XVII. aliique nota-
runt quod אֵילֵא Chaldæus per אֵילֵא *virtutem*
& AbenEsra per אֵילֵא *robur* explicuerint, qui
proinde Alexandrinorum interpretationi &
vocis origini proximi sunt.

Sed Bochartus horum interpretationi hoc
objicit. *In quibus omnibus, inquit, hoc desideres,*
quod אֵילֵא *ajeleth* confundunt cum אֵילֵא: quorum
hoc

hoc quid in robur & virtutem; at illud nil nisi cervam notat. At hæc animadversio interpretationi Alexandrinorum nihil obest. Quis enim dixerit non æque אֵילָה posse robur & auxilium seu ἀρίστην denotare ac אֵילֹת? Quippe aliter quam diversa orthographia hæc minime differunt voces. Dubio enim procul Psalmi inscriptio aliena ac Davidis manu consignata est, cujus diversa fuit orthographia uti sæpius Hebræi scriptores vocibus, vel addunt vel demunt. Ita תַּכִּיִּים legimus & תּוֹכִיִּים 1. Reg. X: 22. 2. Chron. IX: 21. Nomen regis Hiram scribitur & חִירָם & חִירָם & חִירָם. Item קופֵּרָם & קפֵּיִם. Atque, ut propius voci אֵילָה accedamus, nonne urbs אֵילָה scribitur passim אֵילָה passim vero אֵילֹת ut vel ex collatione 2. Chron. VIII: 17. & 2. Reg. XVI: 16. apparet? Hujus autem urbis radix æque ut אֵילָה nostrum, est ex אֵילָה qua potentia indicatur, nihilque vi significationis propriæ quam fortem munitamque urbem innuit. Proinde, quemadmodum orthographica discrepantia eadem est in hujus civitatis nomine, quidni hanc eodem jure & nostram אֵילָה occupare potuisse, concedamus? Causæ etiam graves sunt, cur minus de punctorum & vocalium discrepantia ceteris salvis unquam controversiam cuiquam moveamus, aut, si quæ oboriatur, eam ex antiquissimis versionibus judicemus, quæ unici fere hac in re sunt lapides Lydii ex quibus vetustissima lectio hauriri potest.

IX. Ceterum & hoc Alexandrinis objici posse forsitan video, parum commode illos τὸ ἠῆω per τὸ ἕως ἡμέρας exposuisse, cum *tenebras & nigredinem*, adeoq; *noctem* potius denotet. Verum nec hic excluduntur præsidio, cum ἕως ἡμέρας non *auroram* jam splendide lucentem, sed *dubium diei noctisque confinium*, illudque tempus indicet, quod ἄρδρον βαδὺν *summum mane* vocat Lucas XXIV: 1.

*Quod tu nec tenebras nec possis dicere lucem:
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.*

Canente doctissimo poeta L. IV. Metam. v. 400. Eo enim tempore *tenebræ noctis* nondum lucis adventitiæ & creperæ radiis discussæ sunt, unde factum ut ἠῆω toties Alexandrini per ἕως ἡμέρας, ἕως φέρον & ἄρδρον explicuerint, ut §. 12. monebimus. Observavi enim vocem ἠῆω quidem *nigredinem* indicare, at ejusmodi sæpius quæ nec *maxima* sed aliis coloribus *mixta* est, ut Græcis μέλας, αἴθουα aliaque similia vocabula. Sic *Nilus* dictus est latinis *Melo* & Aethiopibus Σίγης teste Dionys. Perig. v. 223. propter *limum* quem secum trahit. Est autem id nominis ex voce ἠῆω ut dudum alii viderunt. Nam & ipse Nilus Hebræis שִׁיחֹר (*Schichor*) dicitur. At color Nili limo mixti non est *nigerrimus* sed ejus indolis qualem ubique locorum in limosa palude videmus. *Sicera*, voce ab eadem שִׁיחֹר oriunda, quam Græci μέλαν & αἴθουα οἶνον appel-

pellant, *vinum* denotatur *purpureum* adeoque *nigro*ri proximum. In plurimis aliis a שחר descendentes vocabulis, idem observare passim licebit.

X. Eruendo *numero bestiae* ejusque ænigmatē Apocal. XIII, 18. proposito, & per varias interpretationes satis ingeniosas ab eruditis quatuor viris distracto Fasc. I. sect. VI. p. 248. sect. VII. Fasc. VI. sect. IV. unicum est quod lectorem sacrarum litterarum studiosum sedula cura attendere velim. Plurimos ante annos legi dissertationem quam doctissimus Vir & magnum litterarum orientalium lumen *Jacobus Rhenferdius* anno *septuagesimo nono* præteriti sæculi sub præsidio Cl. Joh. v. d. *Wae-
yen* edidit *Franequera* de stylo *Apocalypseos Cab-
balistico*, qua docuit *phrases & sententias* libri *Apocalypseos* ad indolem styli latentis in *Judæo-
rum sapientiæ doctrinæque* fontibus, quos *Cabba-
lam* vocant, compositas esse, atque, nisi me fallit memoria, inde & huic obscuro loco fœneratur lucem. Decennium enim fere est ex quo eam oculis non usurpavi. Id vero memini, eam dissertationem ita mihi satisfacisse, prout omnia limatissimi judicii hominis scripta, ut in ejus castra plane secesserim, parumque in explicationibus difficillimorum *Apocalypseos* locorum vero simile abhinc judicare potuerim, quod lumine *Judaicarum* litterarum eorumque magistrorum profundioris sapientiæ destitutum viderim. Inde eandem,

dem, ad obscurum hunc locum illustrandum, summopere usu venire persuasus sum, imo eum vix aliunde quam hinc petitis præsiidiis elucidari posse. Dum enim dicit Johannes in hoc numero nominis characteristici eruendo esse σοφίαν, aperte indicat usum Cabbalæ Judæorum, quam illi millies חכמה, hoc est σοφία vocant, quod & tyronibus earum disciplinarum notissimum est. Dein, quid notius est, quam Cabbala sua id Judæos maxime operam dare, quo NOMINA variarum rerum NUMERENT seu litterarum in numerando potestatem jungant & hinc mysteria cudant, arte illis Gematriæ nomine insignita. Johannes vero dum ait, qui ingenio pollet ἡ φιλοσοφία NUMERANDO componat seu computet τὸν ἀριθμὸν τῆς οὐσίας (NUMERUM NOMINIS Bestiæ ut v. 17. legitur) est enim numerus hominis (seu humano ingenio ejus numeri computatio pervia est) & ipse numerus est DCLXVI. nihil aliud velle, quam per Gematriam Cabbalisticè nominis alicujus computum numeri 666. eruendum esse, ut scias, qui numerus sit NOMINIS seu characteris Bestiæ, mihi in tam liquida luce positum est, ut vix mente attingere possim, quid huic sententiæ in adversam partem opponi possit. Dum enim vir doctissimus scripsit Fasc. VI. sect. IV. §. 3. rationem computandi nominis in quo litteræ numerales numerum 666. constituentes insint Johannis ævo nondum fuisse cognitam, puto eum ad Latinum Græcumque morem re-

respicere & ad ea mentem intendere quæ hanc in rem fasc. I. p. 152. sqq. disputata sunt. Nam hunc numerandi *Cabbalisticum* modum dudum apud *Hebræos* ante *Johannis* ævum viguisse, virum egregium ex libris *Judaicis* didicisse, satis persuasus sum. Etiam quamvis liber *Apocalypseo* sit *mysticus*, non tamen sensus *Grammaticus* respui potest, multo minus *Cabbalisticus*, sed contra eapropter quod *Judæis* olim ille numerandi modus summe *mysticus* fuit, maxime in auxilium vocandus. Plane itaque, ut alia bestia habuit super septem cornua scriptum nomen *Βλασφημίας* Cap. XIII, v. 1. uti dein 144. Chiliades in monte *Sion* stantes frontibus insculptum habuere *ὄνομα τῶ πατρὸς* NOMEN patris Cap. XIV, 1. quemadmodum pariter mulier *Apocalypctica* habuit ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῆς *ὄνομα γεγραμμένον* quod nomen erat *μυστήριον* Cap. XVII, 5. ita & hæc bestia NOMEN aliquod *Characteristicum* habuit feu *χαραγμά*, quod computatione *Cabbalistica* numerum 666. complectebatur. Illud autem nomen non *Græcum* aut *Latinum* sed *Hebræum* esse, ipsa *Judæorum* *Cabbala*, *Hebraicas*, ne utique quam vero peregrinas computans voces, aliaque quæ *Cl. Vitringa* *Comm. in Apoc.* p. 845. adduxit, evincunt, quem virum summum sententiæ quoad rei summam meæ *ὀμολογῶν* me habere, non parum mihi gratulor, magnopereque iudicio ejus meam confirmatam video sententiam, cum ejus lucubrationes, antequam
hæc

hæc scribo, non excusserim. Eandem federe mentem clarissimo limatissimique iudicii & multivariæ eruditionis viro J. L. Mosheimio, excerpta ex ejus litteris Fasc. 1. pag. 153. inserta me docent, ut, si hic aliquid sapiam, non solus sim. Quodnam vero hoc nomen sit? ut pervestigarem multum fateor me studii impendisse, eaque meditatione non paucas bonas horas perdidisse. Cum enim nonnullas voces Hebræas notassem, quibus numerus Gematricus est 666. eas tamen nihil facere πρὸς διόνυσον animadverterim; tandem vidi, quo si vel mille proferantur, neminem tamen certa ἀποδείξει, quam innuat Johannes, demonstrare posse. Unde eam rerum summam feci, uti vox ipsa incertissima est, ita satis esse dummodo sciamus vocem aliquam & nominis Cabbalistici computum, bestię Characterem indicare.

XI. Ne tamen plane sim ἀσύμβολος unicam ex tanta hariolationum segete depromam vocem, quam quidem eandem esse quam innuat Johannes minime spondeo, attamen quadam verosimilitudinis specie mihi commendatam. Subodoratus enim sum fortasse ex antecedentibus verbis ubi de emtione & venditione agitur, aliquid lucis huic obscuro loco posse accedere. Ait enim ὧ. 17. Καὶ ἵνα μή τις δύναται ἀγορεύσαι ἢ πωλῆσαι εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα, ἢ τὸ ὄνομα κ. 7. λ. Et ne quis possit EMERE aut VENDERE, nisi qui habeat Characterem aut no-

men bestia. Character proinde bestiae est quasi tessera qua omnis *emturus venditurusque* instructus esse debet. Huc animum advertens observabam מכרה notare rem VENALEM, & in plurali מכרות *res* VENALES. Atqui haec ipsa vox continet illum numerum DCLXVI.

ה	400	Fateor quidem in paucis illis superstitibus libris <i>Hebraeorum</i> hanc vocem in <i>sequiori</i> genere haud usitatam esse, quibus מכר <i>masculo</i> genere indicatur <i>venalis res</i> ; At inter
ו	6	
ר	200	
כ	20	
מ	40	
<hr/>		666

Syros & Chaldaeos, quorum dialectis tempore *Johannis mixta* fuit lingua *Judaici* populi, ejus vestigia reperimus. Quia enim מכר metonymice non modo *vendere* aut *emere*, sed & *despondere* notat, hinc מכרא ipsis est *desponsata*, quae quasi *venum* exposita est, uti vocem μεμνησευμενυ reddidit *Syrus* interpret Luc. I, 27. II, 5. Praeterea & in ipsa *Hebraea* lingua מכורת seu מכרות sunt *negotiationes* a מכרה quae vox ex eadem radice oritur Ezech. XXI, 35. XXIX, 14. Atqui eodem vocabulo hunc ipsum numerum complectuntur. Haec proinde vox quasi tessera esset, quam unusquisque *vendere emereque* discupiens, nosse oporteat, indicatis symbolo & indole ipsa significationeque *res venales* esse. Commode vero hoc nomen & χαιεγυα datur *bestia* illi quae symbolum est *civitatis* aut *Antichristi* in ea habitantis *emtione venditioneque* omnium rerum ad *luxuriam* spectantium, *diffluentis*.
de

de Apoc. XVIII, 11--16. &c. Tametsi au-
tem hæc vox sit ex earum genere quæ non
usque adeo inventu difficiles sunt, eapropter
tamen heic loci minime repudianda. Requi-
ritur quidem ad *nomen & characterem & nume-
rum characteris* inveniendum *הכנה סופיא* seu *scien-
tia Cabbalistica*, attamen hac percepta semel e-
jusmodi vocem repertu *facilem* simul esse ea
versa indicant cum dicitur *ψ. 18.* eum esse
ἀριθμὸν ἀνθρώπων *numerum hominis* hoc est He-
bræorum stylo *facillimum*. Tu

si quid novisti rectius istis

Candidus imperti ----

XII. Fasc. III. sect. IV. §. 5. dixi videri vero-
simile Alexandrinos Psalm. CXXXIX, 9 *כנה
הש* reddidisse ultimam vocem per *ἄρκτον* *se-
ptentrionem* sed postea de hac emendatione,
num vera sit, dubitare cœpi, ex quo expendi
eosdem interpretes alibi & perpetuo fere ean-
dem vocem de *aurora & matutino* tempore ex-
posuisse, unde in altera emendatione, qua
ἄρκτον in *ἄρθρον* *diluculum* mutavi, ut, sin minus
veritati rerum, saltem eorum vertendi *consue-
tudi* adposita, adquiesco. Sic Psalmo XXII,
ψ. 1. *הש הלה* per *ἀντίληψιν τῆς ΕΩΘΙΝΗΣ*
eosdem & Symmachum *βοήθειαν τῆς ΟΡΘΙ-
ΝΗΣ* explicuisse vidimus. Similem in mo-
dum Psalmo CX, 3. *הש מרם* *ἐκ γαστρὸς τῆς*
ΕΩΣΦΟΡΟΥ aut secundum alias edd. *ἐκ μήτρας*
ἐπὶ ΟΡΘΟΥ ubi itidem Symmachus *ὡς καὶ ΟΡ-
ΘΟΝ* Psalm. LVII, 9. *הש הערא* *ἐξεγερθήσο-*

μαὶ ΟΡΘΟΤ. Sic apud Jobum III, 9. ἐωσφά-
 ρον & XXXVIII, 12. alii ἐωσφάρον alii ΟΡ-
 ΘΟΝ habent codd. Atque ita ceteris in lo-
 cis. Vide Cant. VI, 10. Gen. XIX, 15.
 XXXII, 26. Joel. II, 2. Amos. IV, 13. Hof. VI,
 4. &c. ubi perpetuo τὸ ἅγιον redditur
 ὄρθρος.

XIII. Ex quo vero has animadversiones in
 quædam S. Cod. loca in III. Fascic. publico
 exhibui eruditorum judicio, de iis rebus hæc
 ad me politissimis litteris *Kilia* Hofatorum d.
 XX. Junii A. clō lōcc XVIII. perscripsit idem
 quem antea jam nominavi vir elegantissimus
 magnaue in variis eruditionis partibus do-
 ctrina cultissimus *Job. Laur. Mosheimius* quo-
 rum gustu lectorem paululum recreabimus.
 “Quæ fasciculo, inquit, III. Bibl. vestræ com-
 “misisti, legi, curateque more Tuo disputata
 “esse intellexi. Nec habeo proinde quod ad-
 “dere possem aut monere, nisi quod vocem
 “ἀμφιβαινω custodiendi notione etiam aliquo-
 “ties apud LXX. me legisse recordor. Sed
 “loca nunc non occurrunt. De *Corybantibus*
 “conjecturam TUAM, pace eruditissimi fratris
 “TUI, cujus ceterum nec spernendas esse co-
 “gitationes reor, omnibus aliis præfero, ni-
 “hilque verosimilius esse judico. Tuus sum
 “i unicum hunc exemeris scrupulum. Idem
 “fuit *Curetum & Corybantum* munus recens na-
 “tum Jovem custodiendi. Nosti Ovidium in
 “Fastis L. IV. v. 207. sqq.

“ *Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes,*
 “ *Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.*
 “ Si itaque, juxta tuam sententiam à *custodia*
 “ *Jovis* nomen sortiti sunt Corybantes, cur
 “ non & *Curetes* nomen *simile*, aut sane non
 “ *dispar*, cum *idem* fuerit *utrorumque* officium,
 “ nacti sunt? Aut vero putas *Curetum* nomen
 “ ejusmodi quoque esse ut *Custodiam Jovis* de-
 “ notet? Conveniebat sane, ut *Corybantibus*
 “ ab officio in *Jovem* sic appellatis, *Curetes* eo-
 “ dem uterentur jure. Hæreo hic, aliamque
 “ ferme etymologiam meditor, sed nullibi
 “ facilior quam in ejusmodi lapsus. Quocir-
 “ ca tuam explicationem potius opperior.
 “ Quæ de *feudo ligio* ad Matth. VI, 24. adfers,
 “ dictum *Servatoris* illustrare concedo. Sed
 “ tamen eo *Dominum respexisse*, nec te ipsum
 “ credere aut indicare hæc illustratione velle,
 “ puto. De casu vero, quem circa feudum
 “ hocce & proponis & erudite solvis, censeo
 “ omnes tolli difficultates, si, quæ mea est sen-
 “ tentia, statuatur, semper pacto huic inesse
 “ *conditionem tacitam* dum justum sit bellum.
 “ Hoc posito, *Vasallus Ligius* illi jure adhære-
 “ bit domino, cujus justam esse belligerandi
 “ causam judicaverit. Nec jure profecto *Nat-*
 “ *turæ* aliter statui potest. Nisi forte, quod
 “ mihi non videtur absonum, dicere quis velit,
 “ tacite pactione illa, qua *vasallus contra omnes*
 “ se servitia præstiturum pollicetur, eos excipi
 “ quibus eodem conjunctus non est vinculo

“obligationis. Hinc dicendum foret, orto
 “inter duos dominos bello, feudatarium jure
 “suo neutri servire debere. Una certe obliga-
 “tio non tollit alteram. Sed hæc eum scri-
 “bere cogita cui prudentia *vestra* vix primo-
 “ribus labris degustata est.

“ Luc. IV, 39. Licet jam Lutherus Tecum
 “verterit. *Er trat zu ihr/* communem tamen
 “particulæ *ἐπιείκως* notionem commode retine-
 “ri posse, arbitror. Qui enim agroto de-
 “cumbenti in lectulo adstat, is quasi *supra* ean-
 “dem stat. Atque, ni fallor, nos Germani
 “sic quoque loquimur, ubi de iis qui ægris *ad-*
 “stant, verba facimus. Alia vero ratio est lo-
 “ci Esaiiani.” Hæc politissimus *Mosheimius*.

XIV. Ad hæc cum responsione defungen-
 dum mihi heic loci videam clarissime Moshe-
 mi, hæc tribus verbis accipe. Quia respon-
 forias litteras ab eo tempore per alia mihi
 non licuerit ad te mittere Alexandrinos ver-
 bum *ἀμφιβαίνω* notionem *custodiendi* adhibuisse,
 nullus, qui & mihi occurrerit locus, utut in-
 quirenti sedulo, manifestum reddidit, adeo ut
 valde num res ita se habeat, ambigam. De
 etymo autem *Curetum* lubenter heic loci di-
 sputo, quod, quam eam in rem meditatus sum,
 observatio plurimis SS. Scripturæ locis lucem
 affundat, in quibus de regione כרת atque in-
 colis ejusdem כרתים hinc dictis, commemo-
 rationem esse accepimus. Observandum pro-
 inde, quamvis plurimi *Curetes* esse *diversos* à
 Cory-

Corybantibus tradunt ut Ovidius memorato loco aliique multis id Jll. Spanhem. docente ad Callim. H. in Jov. v. 52. coll. Tzetze ad Lycophr. v. 378. plurimi tamen *eosdem* faciunt. Vide Hyginum fab. 139. c. n. Munckeri, Servium ad Virgil. III. Æn. v. 104. Callim. H. in Jov. v. 46. coll. v. 56. &c. Quod & apparet inde quia falsationem eandem Jovis *custodiendæ* causa factam in antro Dictæo alii, quod monuimus ibidem §. 4. tribuant *Corybantibus*: alii vero *Curetibus* velut inter ceteros Apollodor. L. I. Bibl. p. 5. Ed. Salmur. & autores memorati. Magna hinc nata est confusio inter veteres scriptores de *Curetibus*, *Corybantibus Idæis dactylis* &c. num iidem an diversi? qua de re cum alii tum præcipue Spanhemius memorato loco exempla protulit. Credo tamen viam dari, qua ex his anfractibus elabamur. Omnis exinde nata mihi videtur discrepantia & nominum horum permutatio quod parum animadverterint eruditi *Corybantas* quidem fuisse simul *Curetas*, sed *Curetas* omnes non fuisse æque *Corybantas*, adeo ut inversio enuntiationis minime locum habeat, quo fit ut ea quæ de *Corybantibus* leguntur & recte quoque *Curetibus* nonnunquam tribuantur. Sed quæ *Curetum* propria sunt, non possint omnia, quod falso factum est, ad *Corybantas* referri. Observa autem *Curetum* fuisse proprium nomen *primorum* Cretæ incolarum. Hoc omnes testantur scriptores, neque in ea re quidpiam

controversi hærere scimus. Hæc Virgilio eo apposite faciunt L. III. Æn. v. 131. de appulsu in *Cretam*

Et tandem ANTIQUIS CURETUM *allabimur* ORIS.

Neque enim sine causa *Cretam* non modo vocat *oram* seu *regionem* *Curetum* nomine ab ejus habitatoribus petito; sed & *antiquitatem* horum incolarum retrusorem indicat, dum *antiquas* easdem *oras* seu *antiquorum* *Curetum* adpellat. Conferantur hic scholia Servii. Hos itaque *Curetas* seu *antiquas* *Cretæ* incolas, nutrix Jovis convocavit in antrum *Dictæum* ut *puerum Jovem* custodirent quod *circumeundo* & saltando æraque concutiendo præstiterunt. Ab hac vero Jovis *pueri custodia* iidem hi, qui *Curetes* erant, acceperunt nomen *Corybantum*, quod ibidem loci probare annisum sum. Patet itaque quo sensu *Curetes* iidem sint qui *Corybantes*, & quo contra dispares. Nec minus manifestum quod *Curetum* nomen sit *antiquius* illo *Corybantum*. Jam vero *Curetes* nihil aliud mihi indicare videntur *propria* significatione quam *incolas* *Cretæ*, quales reapse etiam erant *Curetes*. Uti enim *Cretenses* antiquitus dicti *Curetes*, sic ipsa insula *Creta* olim *Curetis*. Testatur hoc Plinius L. IV. Cap. XX. Atque eadem hinc *CURETIS* terra antiquo nomine appellata ab Ovidio L. VIII. Met. v. 153. Inde vero & hoc eruimus etymon *Curetum*, idem esse ac insulæ *Curetidos*. Quicquid vero de ety-

etymo *Cretæ* seu *Curetidos* nugarum reperiam in scriptis veterum quorum opiniones vide apud Stephanum Byzantinum v. *Κρήτη* consultis illic doctis interpretibus: Mihi, dum meditor *Cretam* antiquitus *Phœnicum* coloniis fuisse habitatam multis id docentibus Dickins. Delph. Phœnic. Cap. VII. p. 67. Ed. Roterod. & Bochart. Can. L. I. Cap. 15. maxime verosimile videtur & *Curetidos* nomen & *Curetum* ex lingua descendere *Phœnicum*. Hinc repudiata plurimorum opinione, qui id nominis a *κῆρος* puer, quod Curetes pueri fuerint, deducunt, placet id nominis ortum esse ex Hebræo *קר* *Kereth* voce civitatem urbemque denotante. In voce *Curetis* enim ultima syllaba ex *Græca* descendit terminatione. Id autem nominis huic insulæ datum quod antiquissimis temporibus pluribus abundaret urbibus eoque nomine quondam celeberrima fuerit. Quis enim nescit *Cretam* Homero *ἐκατόμπολιν* dictam in *Catal. Nav.* v. 156. indeque illam *centum urbium* celebrari potentia. Vide interpretes ad *Virgil. L. III. Aen.* v. 104. & *Cellar. Ant. Geogr. L. II. Cap. 14. p. 815.* Hæc porro illustrabuntur summopere, si animadvertere placeat & regionem *Philistæorum* in *Palæstina*, (ubi frequentissimas fuisse ad littus mediterranei maris civitates, non est quod notissimam rem comprobemus) dictam esse *Cretam* & incolas *Cretenses* s. *Κρήτας*. Vide *Alexandrinus interpretes Zephan. II, 5. Ezech. XXV, 16.* ubi in

Hebræo codice ea regio כרת *Kereth* & incolæ כרתים *Kerethim* appellantur, quorum & in satellitio Regum Israelis mentio 2. Sam. VIII, 18. 1. Reg. I, 38. & alibi passim, de quibus peculiari egit dissert. de *Crethi* & *Plethi* inscripta V. Cl. *Henr. Opitius*, quæ ultimo loco inserta est Fasc. I. opusc. ad Hist. & Philol. Spectantium Roterod. 1693. editorum. Frustra vero sunt *Bochartus*, *Opitius*, omnisque fere eruditorum ordo, Alexandrinos sine nota vix dimittentes quod כרת *Κρήτην* & כרתים *Κρήτες* reddiderint. Ipsi corrigendi, quod tam peritos interpretes censeant de *insula Creta* ibi locorum cogitasse, cum exinde ostendendum fuisset *duplicem* *Κρήτην* dari alteram *insulam*, alteram regionem *maritimam* *Palæstinæ*. Utrumque enim nomen utrique datum est regioni ob *urbium* utrobivis frequentiam. Hæc confundi non oportuisset. Utrum vero ex hac regione *Palæstinæ* incolæ primum in *Cretam* insulam venerint & *patriæ* nomen, ut alias solemne, peregrinæ terræ imposuerint: an vero hi כרתים ex *Creta* dein in *Palæstinam* missi sint coloni, nunc inquirere uberius non vacat. Expende quæ ea de re *Bochartus* citato loco commentatus est. Animadvertisse heic sufficit, videri verosimile & hoc כרת nomen cum altero קרת unde *Cretæ* esse diximus, plane idem esse. Non solum enim כ & ק affines sono litteræ millies permutantur, sed & קרת, quod Hebræis *civitas* est, Syra aliisque dia-

dialectis orientis כרר scribitur. Καὶ ταῦτα μὲν
δὴ ταῦτα. (a)

XVI. Reliqua etiam, quod pace tua fiat, paucis explicabo, doctissime *Moshemi*. Recte mones me non credere Dominum citatis in locis ad *feudi ligii* indolem respexisse, quin exemplum tantummodo me proposuisse ad rei ipsius uberiores lucem. Dum ea scribebam cogitavi quidem numne id verbo simul monerem. Sed repudiavi sententiam, siquidem neminem crediderim tam ineptum futurum, qui

(a) Quamvis *Corybantes* & *Curetes* frequenter confundantur, distinctionem tamen iis intercedere ipse olim agnovi juvenili de cymbal. vet. labore lib. II. c. 14. ubi rationibus non spernendis mihi adstruxisse videor, *Curetas* Cretæ insulæ fuisse indigenas, *Corybantes* vero ex Phrygia ortum traxisse, patria Rheæ, quæ Jovis Cretensis mater fuisse traditur. Clarissime hoc discrimen indicavit *Lucianus* περὶ ὀρχήσεως, ajens: Πρῶτον δὲ Φασὶ ῥέαν ἠσθεῖσαν τῆ τέχνη ἐν Φρυγίᾳ μὲν τὰς Κορύβαντας, ἐν Κρήνῃ δὲ τὰς Κρηῆτας ὀρχεῖσθαι κελεῦσαι. Hoc discrimen si admittendum, etymon *Corybantum*, quod *Celeb. Theodorus HASAEUS* dedit, forte magis præferendum. Sed sicut historia *Corybantum*, *Curetum*, *Idæorum* *Dactylorum*, *Cabirorum*, &c. intricatissima, ita & in etymis parum certi. Inter varia, quæ speciose heic conjici possunt, istud forte non spernendum, quod a certa quadam persona, quæ *Cores*, *Cres*, *Cretes* a diversis authoribus dicitur, insulæ nomen deducitur. Consule sis *Meursium* de Creta lib. I. c. 2. *Cres* autem, seu *Cores*, qui pro antiquissimo in hac insula Rege habetur, valde ad Orientalium כורר, Κύρος, *Cyrus* appropinquat. F. A. L.

qui ejusmodi portentum & monstrum opinio-
nis ex meo prodiisse ingenio vel cogitando
harioletur. Sane ejusmodi foetus nunquam
me peperisse aut sustulisse credo, utut ab er-
roribus me non immunem pronuntiem. Feu-
da enim & Jura feudorum ex moribus *Fran-*
corum & Longobardorum ad nos devenere. At
quid hæc ad *Asiae* incolas & Sospitorem no-
strum? Cum vero casus ille, quem propo-
sui, de *feudo ligio* ad Jurisprudentiæ fontes
pertineat unice nec nisi obiter citatus à me
sit, ille heic loci, ubi Theologica tracto, ex-
cuti non potest; alias facile tibi ostenderem,
utut tua sententia, V. Cl., Juri naturæ non
adversa sit, tamen esse *feudali*, in quo de *Justi-*
tia belli disputatio & censura ad *dominum* non
vero vasallum pertinet, omnisque *injusti belli*
culpa idcirco & in *dominum directum*, non ve-
ro feudatarium devolvitur. Verum hæc lon-
gius diducere heic locorum ἀπεσδιόυσον
foret.

XVII. Cognovi quidem vulgatam expli-
cationem Lucae IV, 39. satis eo, quem indi-
cas, sensu commodam esse; meliorem tamen
meam interpretationem credidi quod genium
Hebraismi, ubi *ly* & *lym* supra pro juxta sæ-
pe ponitur, ostenderet. Putabam tum tem-
poris eam conjecturam mihi privam fuisse, &
unice deberi. At dein jam simile quid subo-
luisse *Glassio*, deprehendi, qui in Gram. Sacr.
L. III. tract. VI. Can. XII. n. 2. agens de hac
par-

particulæ *by* significatione pro *juxta*, quam i-
bi aliis exemplis illustratam videbis, hæc ad-
dit: Sic ἐπιένω videtur accipi Luc. IV, 39. quo vi-
ri sane egregii consensu non parum conjectu-
ræ meæ ponderis accedere sentio. Memini
& aliam explicationem hujus loci me haufif-
se ex scholis privatis, Viri longe Celeberrimi
PETRI BURMANNI, magni illius eloquen-
tiæ & politionum litterarum luminis, cujus
fidelissimis institutionibus, si quid in bonis lit-
teris profeci, me debere unice gratissima men-
te, ut par est, profiteor. Censebat ille vo-
cem ἐπιένω addi ut notetur Christi ad ægro-
tantem accessus tanquam *medici*, qui ad *superi-*
orem partem lecti stabat, quod latini voce
assidendi exprimunt, quemadmodum & *medici*
lectis ægrotorum *adsident*. Ovidius Heroid.
Ep. XX. v. 13. sqq. ubi *Acontius* ad Cydippam
loquitur, *medici* temeritatem sponsam tan-
gentis improbens.

Me miserum! quod non MEDICORUM jussa
ministro

Adstringoque manus INSIDEOq; toro.

Ille (sc. Medicus) manus istas adstringit &
ADSIDET agra.

ad quem locum videantur notæ elegantissimi
Danielis Heinsii. Adde responsum Cydippæ ad
querelam Acontii Ep. XXI. v. 191.

ASSIDET ille (medicus) quidem quantum
permittitur ipsi

Sed meminit nostrum virginis esse torum.

Sic

Sic & de illis qui *agrorum curam* habent. Horat.
Sat. I. v. 81. L. I.

Siue alius casus **LECTO** te affixit: habes qui
ASSIDEAT, fomenta paret, medicum roget,
ut te suscitet &c.

Hæc, amicissime *Moshemi*, ad te scripsi roga-
tus quo voluntatem & conatum perspicias
mihi non deesse eruditione qua par est for-
tasse destituto, ut desiderio tuo, quo hæc ex-
plicari petebas saltem aliqua ex parte facerem
fatis. Pergam itaque ad cetera sed ut eundem
Medicum J. Christum nondum derelinquam
oratione mea.

XVII. Recte enim monet vir doctus Fasc.
III. Sect. II. p. 247. poni φως lumen pro *salu-
te* Joh. I: 4. quæ hujus vocis significatio oppi-
do vulgaris est, quemadmodum *tenebræ* pro
calamitate ponuntur, quo egregie facit locus
Matth. IV: 16. ὁ λαὸς ὁ καθήμενός ἐν σκοτει (in
tenebris hoc est in summa *miseria*) εἶδε φῶς μέ-
γα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκία (*umbra*
i. e. *tenebris* conf. Joh. I: 5.) θανάτου, φῶς ἀνέ-
τειλεν αὐτοῖς; id est magna *salus* per Christum
ipsis contigit. Sæpius eodem sensu ἥμαρ occurrit
in libro *Esther*, ut Cap. VIII: 16. &c. Sic scho-
liastes *Euripid.* in *Oreste* v. 243. φῶς explicat per
σωτηρίαν. Græci quippe hac voce præcipue
utebantur de hominibus & Diis qui augente
malorum cumulo & publica calamitate *sola-
men* miseris afferebant; Vide *Stanlejum* ad
Aeschyl. *Perf.* v. 300. Quid mirum itaque
Chri-

Christum vocari $\eta\kappa$ & $\phi\omega\varsigma$ Matth. IV: 16. Joh. I: 4. Jef. XLIX: 6. qui omnium *ærumnis* medelam attulit & *mala* cum corporis tum animi sustulit, partim miraculis, partim doctrina sua *salutari*? Neque emphasi sua caret quod non modo $\phi\omega\varsigma$ sed præcipue $\phi\omega\varsigma$ τῶν ἀνθρώπων vocetur passim seu ἐθνῶν id est *salus omnium gentium* per ellipsin vocis πάντων, quia *lumen evangelii* & *salus Christi omnibus omnino gentibus* & linguis prædicandum erat. Est enim $\phi\omega\varsigma$ τὸ ἀληθινόν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, Joh. I: 9. Conf. §. 31. horum Analect. Quia autem insignes *medici*, quorum opera ægrotantibus *salus* contingit, præcipue titulo $\phi\omega\tau\acute{o}\varsigma$ honorabuntur, ita ille pariter apprimè convenit Christo summo *medico* tam *corporis* quam *animi* malorum. Quoniam autem Christo *medico* ejusque miraculis gentiles perpetuo fere opponebant *Aesculapium* suum ejusque *miracula* ut ex L. III. Origenis contr. Celsum p. 124. sqq. videre est, ita ad horum locorum illustrationem animadvertisse maxime iuvabit, AESCULAPIUM, æque ac Christum, à gentibus eapropter dictum esse $\phi\omega\varsigma$ βροτῶν hoc est *lumen* seu *salutem hominum*; imo uti Matth. IV: 16. $\phi\omega\varsigma$ μέγα βροτῶν. Aristoph. Plut. v. 640.

Ἀναβοάσομαι τὸν εὐπαιδα, καὶ
ΜΕΓΑ ΒΡΟΤΟΙΣΙ ΦΑΝΟΣ Ἀσκληπίου

Laudabo istum probi patris filium, &
GRANDE MORTALIUM LUMEN
AESCULAPIUM

Idcirco vero heic loci eo nomine decoratur
Aesculapius quod Pluto caeco visum salutare
medicina restituerat. Egregium aliud heic
ex Electra Euripidis adducunt veteris Critici
exemplum, dicentis: ἀνυμνήσω τὸν Ἀσκληπιὸν
ΜΕΓΑ ΦΩΣ ὄντα τοῖς ἈΝΘΡΩΠΟΙΣ Prædicabo
AESCULAPIUM, MAGNUM illud HOMI-
NUM LUMEN seu maximam salutem. Adde
Homeri Hymnum in Aesculapium, ubi eum
vocat

ΧΑΡΜΑ ΜΕΓ' ἈΝΘΡΩΠΟΙΣΙ, κακῶν θελήθη
ἐδυνάων

χάρμα enim gaudium ut & χαρῆς sæpe idem est
quod φῶς explicante Hesychio. Inde & Aescula-
pius per excellentiam ΜΕΓΑΣ dictus est quod
nonnullis ex Aristide docet Jll. Spanhemius
memoratum Aristophanis locum. (b)

XVIII. Act. XIX: II. vulgaris explicatio
quæ verba δυνάμεις ἐπὶ τὰς τυχεύσεις reddit virtu-
tes non vulgares seu maximas quas fecit Paulus,
omni-

(b) Quam familiaris lucis pro salute metaphora jam
apud Homerum fuerit, constat ex Bogano in Homero
Hebraiz. p. 54. 55. Latius de amplissimo hoc lucis
emblemate, si Deus volet, in curis meis ad Johan-
nem commentabor, potissimumque ejus in sacris de
Messia usum ex luce, qua columna nubis rutilabat,
derivandum esse, atque eodem Evangelistam in pro-
logo suo collineare, probatum dabo F. A. L.

omnino melior est altera quæ Fasc. III. Sect. II. p. 252. exhibetur. Talia enim Paulus fecit miracula quæ *summa* erant, & *gentilium*, quæ jactabant, longe *exsuperabant*. Gentiles enim miracula suorum Deorum perpetuo opposuere miraculis Christi ejusque discipulorum, quod ex patrum Apologiis notum atque Historia vitæ Apollonii Tyanæi, & præcipue ea in re nobilem se contra Christianos ostendisse Celsum ex Origenis L. III. contra Cels. p. 123. sqq. edit. Spenc. discimus. Talia itaque patravit miracula Paulus quæ nemo gentium asserere posset à quopiam patrata esse, adeoque in censum *vulgarium* minime referenda. Genus hoc loquendi vocant Rhetores *Litoteta* quo per *negativam* particulam vox quæ alias rem *prestantissimam* denotat, tum cum talis esse negatur, omnium *vilissimam*; contra vero quæ *vulgatissima*, omnium *maximam* esse innuitur, de qua præter Pricæum ad h. l. consule Vossium Instit. Rhetor. Cap. X. §. 8. & notas doctorum ad Longinum de sublim. Sect. IX. §. 18. Vide & Servium ad Virgil. Ecl. III. v. 74. qui per hanc figuram explicat illud de Amynta *non spernis, per libentissime amas*. Idem v. 54.

Sensibus hæc imis res est non parva (i. e. maxima) *reponas*. Videantur ibi notare Emmenesii. Eorum frequentia & sacræ litteræ abundant, præcipue *Luce* oratio, ne præsidia aliunde arcessamus, id quod Vir cl. ad Act. 28:

2. p. 253. recte monet. Adde his quod *Tarsum* Ciliciæ metropolin & omnium ejus regionis splendissimam urbem vocet ἡ ἀσσημον πόλιν. Actor. XXI:39. Sic Luc. IV: 24. Prophetas ἡ δειλὸς est ἄπμ. in honoratus: Quod ipsum ut ceteris vocibus ita & τυχαίω accedit, cum res non contingentes facile (ἡ τυχόντες) sunt laudatissima, quod vir cl. recte p. 253. observat. Adde his Longinum quem maximo ornasse elogio Mosen observant indicato loco eruditi (vide Huet. D. E. Prop. IV. Cap. II. §. 54.) dum ὁ τῶν Ἰσραηλίων νομοθέτης ipsi dicitur ἡ ὁ τυχῶν ἀνὴρ, hoc est πολλῶν ἀντιθέτων ἡ ἀδων.

XIX. Ad illustrationem loci Hebr. XII: 1. νέφος Græcis & latinis *nubem* sumi pro magna *multitudine* præter ea quæ cl. Neubour. p. 265. exhibet, nota multis id exemplis docuisse Er. Schmidium Annot. in N. T. & cl. Bos diatr. in N. T. C. XXX. §. 6. Plura desiderans adeat Cerdam ad Virgil. XII. Aen. v. 254. & Taubmann, ad IV. Georg. v. 60. Item quæ Cl. Cellarius exhibet in augmentatione Thesauri Fabri. V. *nubes*, & *nimbus* apud quos lector exemplorum *nubem* deprehendet. Addam unicum Aristophanis locum Avib. vers. 295. sq.

Πει. ὦ Πόσειδον, ἡ ὄρας ὅσον συνείλεται κακὸν

OPNEΩN. Eu. ὦναξ ἡ Απολλων τῆ ΝΕΦΟΤΣ.
& Pollucis L. IX: §. 159. ubi de copia militum ur.

urbem obsessam irruentiū Græcos dicere ob-
servat ἐπαιρείθη τῇ πόλει ὡς περ πνεῦμα ἢ πῦρ ἢ σκηπ-
τός, ἢ ΝΕΦΟΣ ἢ χαίλαζα, ἢ χιών, ἢ νέσημα, quæ,
licet *similitudinis* tantum ratione proferantur,
ea ipsa tamen ex re locutionis apparet in-
doles.

Puto & Hebræos hac locutione non de-
stitui. Ita certe accipi videtur Nahum: I: 3.
נָגַי Et NUBES pulvis pedum ejus (sc. DEI.) Ale-
xandrini καὶ ΝΕΦΕΛΑΙὸς κονιορτὸς ποδῶν αὐτοῦ hoc
est, subaudita littera ⌘ nota *similitudinis*, fre-
quenti apud Hebræos ellipsi, ante נָגַי: *inftar*
Nubis est pulvis pedum ejus seu longe maximu
est. Sic & Lutherus accepisse videtur dum
reddidit קֶכָּא נָגַי, dicitur Staub. Etiam fumus
ex incenso suffitu plurimus apparens dicitur
נָגַי נִבְּרָה NUBES suffitus, Levit. XIII: 16.
quod Græci dedere ἀτμὶς τῆ θυμιάματος vapor
suffitus sc. ingens. (c)

Uuu 2

XX.

(c) De metaphora hac NUBIS, si densiorem testium
nubem quis desideret, addi citatis possunt Gatakerus
Advers. Posth. c. 2. Fesselius Advers. Sacr. lib. I. c. 14.
§. 4. Suicerus Thes. Eccles. voce Νέφος Boganus
Homer. Hebrais. p. 322. 323. Atque hos quidem au-
thores tutius sequi licet, quam alios, qui de columna
nubis invita Minerva heic cogitant. Tota orationis
Paullinæ, quæ sequitur, series abunde docet, eum
meditationibus suis in PALÆSTRA versari, atque
inde plerasque, quibus utitur, mutuari phrasim. Al-
ludit ergo per NUBEM TESTIUM sive ad multi-
tudinem spectantis populi ex universa Græcia, in
gymna-

XX. Quo sententiam meam committerem chartæ de sensu vocis *εικαστος* Tit. II: 7. & Celebr. Relandi in hunc locum scriptam diff. qua id vocabulum *domisjedam* denotare vult mulierem, in Fasc. III. hujus Bibl. apparentem, ad examen vocarem, invitatus sum humanissimis litteris viri longe celeberrimi multijugaque eruditione nobilissimi MICHAELIS ROS-SALLI cui maximo merito suo Illustres Academiae Groningensis Curatores ordinariam Græcæ Linguæ atque artium professionem, cui peregregio ornamento est, commiserunt. Earum responsoriarum ad Virum doctissimum copiam, quod alias perraro contingere solet, cum mihi servaverim, nihil inconcinni me commissurum reor, si eas, una cum excer-

ptis
gymnasio pulverulento *nubem pulveream* excitantis & *κελεύσματος* suis animos athleticis cursoribusve subdantis, sive quod malim, ad hieronicarum statuas, quibus gymnasia & palæstræ exornata erant ut earum intuitu ad similes victorias & honores obtinendos inflammarentur. *Olympia omnium, qui vicissent, statuas dicar mos erat,* ait Plinius lib. XXXIV. 4. qui idem lib. XXXV. 2. *palæstras athleticarum imaginibus ornatas docet.* Videri plura possunt apud *Fabrum Agonistic.* lib. II. c. 20. *Figrelium* de stat. Rom. c. XIII. aliosque. Ex antiquis sitim hic ante omnes explebit *Pausanias Eliac.* lib. II. ubi densissimam statuarum in Olympia positarum *nubem,* id est secundum Paulinam phrasin, catalogum dat. Si vero memoria heroum in certaminibus ludicris tantum dare poterat incentivum, quanto magis memoria tot athletarum Dei & Christi, de quibus Apostolus capite præcedente egerat? F. A. L.

ptis litt. V. cl. his in primum fasciculum an-
notatiunculis nostris interponam, quo etiam
nomine abs Viri celeberrimi humanitate ve-
niam, quam rogo, me nacturum confido.

I.

Excerpta ex litteris celeb. Rossalli datis IV.
Martii 1719.

„Velim scire quid tu sentias de ista cl. Re-
landi disputatione de uxore domiseda. Mihi,
ut fatear, non satisfecit, sequor enim vul-
gatum, ubi domus curam habentes. Hesychius
ὡρε --- φιλῶς δὲ φρονίς, ἐπιμέλεια. ὅθεν ὀλί-
γωρον λέγομεν τὸν ὀλίγον ἔχοντα φρονίδα. Vi-
des apertum campum amplissimum. Hinc
corrigere Etymolog. M. col. 660. ὡρε κ. τ. λ. scri-
be ὡρε leni Spiritu.

II.

XX. Viro Excellentissimo ac longe eru-
ditissimo

MICHAELI ROSSALLO,

amico conjunctissimo S. d. pl.

Jac. Haseus.

His litteris, Vir celeberrime, quas &c. . . .
Quandoquidem vero viribus me destitu-
tum sentio, quo tamen de voluntate saltem
mea certus sis quid tibi tuæque in me bene-
volentia debeam, jussu tuo quæ de cl. Relan-
di diss. de uxore domiseda, Biblioth. nostræ
Class. I. Fasc. III. Sect. V. inserta, sentio, per-
scribam, non, quo docere possim quæ tu ne-
scias

Uuu 3

scias (quis enim te est harum rerum peritior?) sed ut petitioni tuæ morem geram, atque aperte videas me iis eruditionis copiis non instructum esse, quas tibi de ingenio nostro polliceris.

Quemadmodum nostri hortuli fructus majoris facere solemus, quam alieni: ita & Cl. *Relandum* conjecturæ nimium indulgisse propriæ hac in re putarem. Uti enim Vir doctissimus *Rhenferdio* eruditione fortasse par erat, ita ingenio ab eo diversissimus. *Rhenferdus* enim *suarum commentationum rigidissimus erat exactor*, quod ex vero sibi ipsi testimoniū alicubi dedit. Hinc innumeras hariolationes & conjecturas pressit, nec ullas protulit nisi maturitate iudicii probe excoctas. *Relandus* autem nimio erat amore erga foetus proprios, nec facile conjecturam, utut leviolem, prætermittibat, quin publico exhiberet. Insigni ejus rei æque ac hæc differt. testimonio est, altera de *Tryphone* *Judæo* quæ in *Class. I. Fasc. II. Sect. III.* exhibetur, qua magno nisu nihil aliud egit quam ut conjecturis conjectatiunculas opponeret. Ego nunquam existimavi illum *Justinum M.* cum *Tryphone* dialogum ita ut scripto consignatus, esse actum, sed *Justinum Martyrem*, quæcunque de *Judæis* eorumque adversa Christi doctrina sciebat, seu vera ea fuerint seu falsa, huc converrisset, quo alterius oppositione convelleret. Ea est omnium

um dialogorum indoles. Neque enim illi unquam, ut habeatur, scripto exarantur.

Hac vero de uxore *domifeda* diff. nihil aliud egit, quam ut *Bezæ* sententiam dudum sepultam in vitam revocaret, quem nomine recentiorum in fine p. 319. intelligit, quorum probat iudicium, quod *domi manentes* reddiderint. Si qui enim alii præter *Bezam* eum in modum explicuerunt (quod me latet, nec multum curo) unicum *Bezam* ducem secuti sunt omnes. Ipsi *Belgæ* interpretationem suam *Bezæ* debent, qui si non prævissset à trita & meliori via non deflexissent, quamvis & *Erasmum* sequi potuerunt, qui *domus custodes* reddidit. Non tamen *Bezæ* autoritas æque omnes commovit, cum *Piscator* præeunte *Luthero* dedit *häußlich* quod verbis vulgati interpreteris *domus curam habens*. *Bezæ* autem unice curæ fuisse propemodum ut *Vulgato*, *Hieronimo*, *Castellioni* atque *Erasmo* obstreperet, & quamcunque occasionem, sive raptam sive captam, ut loquimur, arripuisse quo iis adversus esset, ex ejus notarum inspectione unicuique manifestum erit. Hinc ut plurimum meliores interpretationes rejicit atque in pessimam inclinat iudicio suo, neque unquam fere magis peccat quam cum alios refellit, atque adeo ubi alii *male* nihil *Beza melius*, ubi alii *optime* nihil *Beza pejus*. Docuere hoc cum alii tum imprimis nuper amicissimus mihi *Hombergius* in *Parerg. Sacr. ad Ephes. III: 19. p. 297. IV: 14.*

2. Tim. I: 3. Hebr. II: 9. VIII: 1. V: 7. XIII: 14. Jac. II: 4. & passim, quod ipsum fortasse & aliis alibi exemplis ostendam. Sed ut Bezae & Theologis nostris ejusmodi lapsus ob odii præjudicium in *Vulgatum* interpretem ob *autoritatem*, quam inter *Pontificios* nactus est, commissos, condonamus: ita id ipsum in *Relando*, qui peculiari vitæ genere Theologiam haud profitebatur, non facile ferendam esset.

XXII. Primum itaque, quo adversus horum duumvirorum sententiam pugno, argumentum rectissime ab *autoritate veterum interpretum* petitur eo. *In ea enim sum sententia* (ut summi Theologi verbis utar ex Hieroz. P. II. L. II. Cap. 31. p. 345. petitis) *ex multis interpretationibus præferendam esse ANTIQUISSIMAM, nisi, causæ sint GRAVISSIMÆ cur ab ea recedamus.* Animadverti enim quotiescunque viri docti ab interpretatione *Vet. Test.* antiquissima Alexandrinorum interpretum recedunt, ut plurimum ab ipsa *veritate* deflectere. Magna eorum ut & veteris interpretis *N. T.* apud me est autoritas, quos optime loca reddidisse, quæ nostri non intelligunt & alio detorquent, novi non uno, sed millenis exemplis edoctus. Magni itaque facio *Bochartum*, plurimi *Simonium*, qui non facile de his male sentiunt. Plurimi & *J. Vossium* eapropter amarem, nisi eos ab *omni errore* (quod in homines non cadit) *immunes* pro-

pronuntiasset. Neque autem solum vetus
 interpres hunc locum eum explicuit in mo-
 dum, sed & HESYCHIUS cujus verba Cl.
 Relandus, aliud agens, citat p. 320. Vix enim
 dubium mihi est, quin illustris Grammaticus
 ad hunc ipsum Pauli locum respiciat eumque
 explicet, uti solet Alexandrinorum interpre-
 tum V. T. & N. T. græcas voces obscuriores
 egregie & data opera illustrare. Quapropter
 viri eruditi ejus glossarium Theologis ad mul-
 tos usus rectissime commendarunt. Quæ
 itaque causa est cur hos viæ duces derelinqua-
 mus? Nulla sane.

XXIII. Nescio enim qui fiat ut Cl. Relandus,
 cum tota diff. tum maxime p. 320. neget *usum*
 vocis *οικερον* eam pati significationem quam
 Vulgatus dedit. Cum tot observaverit exem-
 pla ex Græcis autoribus quæ suæ favent cau-
 sæ, mirum eum nullos novisse adversæ &
 æque tritæ. Utramque nosti satis, Vir do-
 ctissime, Græcis fuisse *usitatissimam*. Nostram
 probat Pollux L. IV: §. 150. *γεγιδιον οικερον, η
 οικητικον, η οξυς*. Heic loci anus *οικερος* mini-
 me est *domiseda*, quia opponitur mulieri pin-
 gui, quæ potius domi desides sunt quam am-
 bulatrices. Sed est *domus curam habens*, unde
 & *οξυς* vocatur quod rebus *agendis & curandis*
 apta sit; quæ ejus vocis *οξυς* heic loci notio,
 alibi quoque, ut a lexicographis ostensum, oc-
 currens. Patet quoque ex Aristophan. Acharn.
 v. 1059. ubi more suo comicus genere usus
 Uuu 5 est,

est, quod genus ridiculi præter expectationem vocat Cicero, ut, cum post *οικρεῖν* auditores expectassent *οικίαν* domus custodiam & curam habere, ille subjungit turpiter *πέος*, quod & veteres ejus critici monent, *ἀντὶ τῶ ἐπιπῆν τὴν οἰκίαν, εἶπε τὸ πέος*. Imo in *οικρεῖν* ubiq; latet ellipsis substantivi cognati *οικίαν*, quod Atticos verbis addere novimus, ut *φυλάσσειν φυλακὰς μάχεσθαι μάχην* &c. V. Bos de Ellipsi p. 2. & Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 10. Plura ejusmodi de voce *οικρεῖν* exempla unicuique scriptores evolventi in promptu erunt.

Hæc quippe vocabuli *οικρεῖν* propria notio est ut domus curam habentem indicet. Vox enim *ἄρεος* custos & *ἄρεα* cura atque *ἄρεα* opportunum tempus omnes ejusdem sunt originis ex Phœnicia *אור* *our* vel *or* descendentes. Ea vero præter notiones excitandi, evigilandi, quæ & curam includunt, habet significationem curæ & attentionis, quam à lexicographis omissam, paucis indico exemplis. Esaiæ L. 4. *יעיר* (*jair*) attentam mihi reddit aurem seu rerum curam habentem animam. Cap. LXIV: 6. non est *מתעורר* (*mitborer*) qui curam habeat seu sollicitus sit, ut apprehendat te. Atque ita passim. Imo quotiescunque de vigilia hæc vox explicatur, ex indole subordinatorum & metaphoricarum locutionum usu, curam includit. Hinc etiam tres illæ Græcæ voces, quas nominavimus, cum reliquis omnibus exinde natis & compositis aliquid curæ & custodiae inclu-

cludunt significationibus suis, ut, si opus, per
singula eundo, ostendi posset. Præcipue au-
tem egregie, Vir summe, observasti ex voce
ῶρα id patere, utpote qua *Φροντίδα, ἐπιμέλεια*
Græci innuant. Emendasti & optime hinc
Etymolog. M. Addo, me sæpius animadver-
sisse eam vocem passim cum spiritu *aspero* per-
peram scribi & excudi. Emendandus enim
& similem in modum est vetus Scholiastes
Aristoph. in Ran. v. 484. *ῶρα ἢ Φροντίς*: &
dein *ἀπὸ τὴν ῶραν αἰκίζειν* ubi utrobique *lenis*
substituendus est spiritus. Neque comper-
tum habeo cur Cl. Kusterus verbum *ῶρακιῶ*,
quod ex *ῶρα* ortum est, ibi apud Comicum
cum *aspero* excudi curaverit æque ac in Pace
v. 701. ne mendum putes. Etiam Theocriti
scholiastes hanc discrepantiam inter *ῶρα* &
ῶρα indicat Idyll. VII: v. 62. *ῶρα, ἔγκαιρα,*
ἐπιτήδεια. ἢ ῶρα τὰ διὰ Φροντίδος. ἢ ῶρα ἀντὶ
τὰ Φυλακτικὰ ἀπὸ τῆς ῶρας, τὸ Φυλάσσω. Sed me-
lius ibi *ῶρα* legitur atque de *commoda naviga-*
tionis tempestate explicatur, ut Heinsius fecit
Lect. Theocr. cap. 13.

Exinde vero id conficimus, Hesychium
non magis ad *originem*, quam *usum* vocis
οἰκὸς attendisse dum explicat *ὁ Φροντίζων τῆς*
τῆς οἰκῆς καὶ Φυλάττων atque eapropter perperam
a Cl. Relando notatum esse p. 320. Ipse au-
tem Vir doctissimus notandus videtur dum p.
319. dicit *οἰκοδεσπολεῖν* I. Tim. V: 14. esse *domus*
curam habere. Heic enim certissimum est re-
spici

spici ad *imperium* matrisfamilias in servos & ancillas quorum æque ut maritus δεσπότης, illa δέσποινα est. At οἰκρῆν notat habere *curam rei familiaris*. Tametsi enim qui servis imperio adest etiam *curam domus* habet seu familiae, tamen eo latiori sensu hic non usu venit, ut ad quamvis curam respiciat, sed ad *imperii* curam restringitur. Differunt itaque οἰκρῆν & οἰκοδεσπολεῖν ut illud sit generalius, hoc vero strictius.

XXIV. Præterea οἰκρῶν hic non esse *domiscedam* seu solam *commorationem in ædibus* respici, exclusa domus cura, patebit ex duplici usu cur veteres uxores *domiscedas* esse voluerint, quorum alter est *pudicitiae custodia* ne alienæ domi stuprum quarant aut inveniant: alter vero ut *rei domesticae curæ* eo melius operam dare possint, habeantque domi quod agant rerum, quæ ut à vagabunda & ambulatrice negligantur, necesse est. At *pudicitiae* custodiam mulieribus jam voce *precedente*, qua eas αἰγνὰς esse vult, commendaverat, Quocirca dum eas οἰκρῆν præterea cupit, omnino *curam rei domesticae* præcipit.

Dein vero, cum ipse Relandus innuat p. 318. uno *commendato alterum non rejici*, miror ego cur notionem *domiscedae* elegerit, qua solæ *commorationis* in ædibus ratione habita, *curam domus* excludit: neque tamen alteram prætulerit de *domus curam habente*, qualis esse ambulatrix mulier non potest, sed ut *domisceda* altera

altera simul sit, oportet. Omnis enim *domus curam* habens est *domifeda*, sed omnis *domifeda* non æque *domus curam* habet, adeo ut inverti non possit enuntiatio.

Alia, ne longiori epistola tibi, Vir excellentissime, molestus sim prætereo, qua tamen ipsa in re si quid peccavi, tua culpa peccatum est, qui ut sententiam meam perscriberem, voluisti.

XXV. Addo id tantum, me divisionem vocum *οικετης* & *αγαθης*, quam Cl. Relan. us contra Stephanum, ut videtur, urget, plane probare, diversasque virtutes indicari, censere. Nam, cum mulierum *rei familiaris curam habentium*, fere commune vitium sit *nimia parsimonia* quæ *avaritiæ* proxima est: Theophrasto in Eth. Char. c. XI. dicta *μικρολογία* Casauboni egregia commentatione explicata, hinc ut simul *beneficæ* sint & *liberales* vult Apostolus. Rectissime itaque Vulgatus *benignas* explicuit, quo sensu & *αγαθης* si accipias Rom. V:7. omnia ibi plana erunt & perspicua. Ita Tibullo *bona* mulier quæ *nec avara* L. II. Eleg. 4. pluribusque usum hunc ejus vocis in utraque lingua vulgarem esse ostendit Celeb. nobisque amicissimus Heumannus in dissert. ante paucos annos Isenaci excusa quam *Hebdomada Paulinam* vocat, eaq; VII. loca *Epistolæ ad Romanos* explicat, Num. III. Ita Vale Vir, celeberrime, & me ama. Dabam Bremæ die XIII. Martii Anni clo IcccXIX.

Liceat his adnectere verba quibus ad hæc sequentem in modum respondit Vir celeberrimus Groningæ die XXIII. April. ejusd. Anni.

„Veniã nunc ad - - - eruditionem tuam
 „qua plenis manibus res veteres novasque
 „effundis. Ac primo gratias tibi agam, quod
 „tam copiose quid sit *ois xp̄s* contra Cl. Re-
 „landum ostenderit. Sine vero, Vir doctissime,
 „ut hoc loco de tuo consensu mihi gratuler.
 „Tu non tantum, quam ego veram putabam,
 „vulgati interpretationem, clarissime demon-
 „strasti, sed etiam id aperte dixisti de erudi-
 „tione & existimatione tum Veteris Latini in-
 „terpretis, tum LXX. seniorum translationis,
 „quod ego soleo meis auditoribus inculcare.,,
 XXVI. Cum Fasc. IV. sect. 2. & Fasc. III. sect.
 1. *primum* libri Psalmorum *hymnum* illustratum
 video, brevibus hæc loci meam explicatio-
 nem, quam omnium *simplicissimam* esse, augu-
 ror, profero. Idque in exemplum nostrarum
 in varios Psalmos observationum. Censemus
 autem ejus *argumentum*, quantum quantum
 est, esse *morale*, neque in eo explicando vel
 ullam cogitationem *prophetica* aut *allegori-
 cam* posse locum habere. Qui enim totius S.
 Scripturæ scopus est ut *improbos* ad meliorem
 frugem quo redeant, cohortetur, *probos* au-
 tem in via quo permaneant pietatis, incita-
 mento sit, atque ita *improborum* ob oculos po-
 nat

nat miseriam & pœnas, bonorum vero statum longe felicissimum tradat, quod multa eruditione argumentum tractavit Theologorum nostra ætate princeps facile Camp. Vitringa observ. sacr. L. IV. Cap. XIII. p. II. sqq.

Idem sane est hujus Psalmi argumentum, ut *pios in virtutum exercitio* quo permaneant, adhortetur, suadeatque *prudenciam* qua reprobantur *mala, bona* vero facta optione eliguntur ad æternam hominis felicitatem adipiscendam. Hoc facit, partim *bonorum* ostendendo *felicitatem*, partim improborum indicando *statum infelicem*. Ostendunt hoc duo subjecta de quibus unice & nullis aliis hoc Psalmo agitur. Apparent enim (1) viri *improbi* qui vocantur *אֲשֵׁרִים* improbi v. 1. 4. 5. 6. & alio nomine *אֲשֵׁרִים* peccatores & *אֲשֵׁרִים* derisores v. 1. Tum (2) *probi* qui dicuntur *צַדִּיקִים* *justi* v. 5. 6. uno nomine, at quinque nominibus periphrasticis v. 1. 2. (1) *qui non ambulat* &c. (2) *qui in via peccatorum non stetit*. (3) *in confessu derisorum non sedit*. (4) *cujus in lege Domini voluntas* & (5) *cui in lege ejus meditatio die ac nocte*. Inspecto nunc psalmo apparebit de primo subjecto sermonem esse à v. 1--3. de secundo v. 4. 5. de utroque autem v. 6. ostendit enim autor hymni

(1) Statum *moralem & physicum* hominis *probi* qui est *felicissimus & beatissimus* v. 1--3.

(2) Statum *moralem & physicum* hominis *improbi* qui est *calamitosissimus* v. 4. 5.

(3)

(3) *Utriusque* hujus rei & cur hoc contingat
rationem reddit v. 6.

Illa eo tendunt ut ejusmodi *carmine*, quæ sæpe majorem vim habent animos excitandi quam quæ *prosa* scribuntur, *pius* ad *virtutem* porro incitetur, *impius* autem à *vitiis* quo desistat, adhortetur. Quod proinde hic elegantissimi *carmine* expressum est id totius *moralis* disciplinæ argumentum esse novimus.

XXVII. Quoniam autem elegantia *carminum* Hebræorum præter cetera vel in expolitione orationis per frequentes *exergasias*, de quibus egimus §. 2. sqq. vel illustratione *rerum* quapiam *similitudine*, versatur; ita nec istis elegantissimis hymnis noster caret. Repertio enim eum *quatuor* *exergasiis* & *duabus* *similitudinibus* illuminatum esse. *Exergasia* prior latet in v. 1.

Beatitudines | *qui non ambulat* | *in consilio improborum*
viri illius

Et ---- | *qui non stetit* | *in via peccatorum*

Et ---- | *qui non sedit* | *in consessu derisorum*

Commata hæc tria aliis quidem verbis concepta, *sensu* sunt æquipollentia. Exhibent vero enarrationem *felicitatis* viri probi ob id quod *mala* eorumque occasionem *negligat*, seu ea *non* agat, quæ egisse parum juvat. Sequens versus *idem* cum primo sensu est, sed exhibet *contra* descriptionem viri pii contrariam ea in re quod agenda *agat* v. 2. Idque eodem *schemate* *exergasias*

Sed in lege Domini | *voluntas ejus sc. erit* | -----
Et in lege ejus | *meditabitur* | *die ac nocte.*

Ultima enim *verba die ac nocte* in priori com-
 mate subaudienda sunt quæ ellipses non mo-
 do in *primo* sed in *altero* conspicuæ sunt com-
 mate.

Has *beatitudines*, quas ejusmodi homini pio
 futuras esse monuerat, & quo in statu ille *bea-*
to collocabitur, illustrat, frequenti Hebræo-
 rum more, *simili* quodam v. 3. quod erit sicut ar-
 bor plantata juxta rivus aquarum, de qua arbo-
 re *tria* refert, quæ & vim exergasias, ut ejus-
 dem *sensus* sit, præ se ferre videntur. Ille enim
 omnium sensus est *Justus erit instar arboris frugi-*
fera. Sed ea *triplici* modo efferuntur

Et sc. erit sicut | *quæ fructum suum* | *dabit in tempo-*
arbor &c. | | *re suo*

Et ----- | *folium ejus* | *non defluet*

Et ----- | *omne quod producet* | *prosperabitur.*

Expono *הפועל* *producet non faciet.* Dilucidior e-
 nim prioris vocis in latina lingua sensus est,
 cui *הפועל* de *arbore* aliisque rebus *productricibus*
 usurpatum, respondet. Arbor vero præter
folia & fructus nihil producit, quo cognoscis si-
 mul ultimum comma præter præcedentia ni-
 hil novi indicare sed sensum antecedentium
 exhibere.

Quoniam vero contrariorum contraria est
 ratio, ita cum v. 1. *beatitudines* tribuuntur pio,
 contra *maledictiones* iis oppositas manere im-
 proba intelligimus. Hinc, cum *felicitatem viri*

probi illustraverat quodam simili v. 3. sic & improborum altero illustrat eorumque contrariam rationem haberi admonet v. 4. Non sic improbi &c.

Ibi autem $\Upsilon\mu$ optime reddunt $\chi\upsilon\delta\upsilon$ pulverem Alexandrini. Arena enim, quæ sine calce est, & à vento propellitur facile, opponitur arbori radicata $\text{לִּינְוּ יָעַ$ v. 3. quæ a vento commoveri haud potest. Eapropter autem, quod improborum ratio *levidensis* habebitur, illique instar pulveris à vento dissipabuntur, hinc & porro eorundem *infelicem* statum exinde resultantem describit v. 5. qui prius schema continet

Ideo improbi	non resurgent	in iudicio
Et peccatores	-----	in cœtu justorum

Quod autem piis quæque felicia, sed improbis quævis adversa, quæ enumeravit contingant hæc v. 6. exposita ratio est, partim quod DEUS viam justorum novit, seu justis in viis suis ambulanti- bus quæque beneficia tribuit. Est enim $\Upsilon\Upsilon$ nosse Hebræis sæpe idem quod *benefacere*: via autem improborum peribit, seu adversa quæque iis, in hac semita porro pedem moventibus, præsto erunt iusto in eos DEI iudicio. Brevi hac oratione sensum & arcana psalmi indicasse sufficiat, quæ veste commentationum circummunire aliorum eruditioni reliquimus.

XXVIII. Originem omissionis verborum Joh. V, v. 3. quoad partem, & v. 4. integrorum,

rum, quam reperiri in Cod. antiquissimo Parisiensi verbis *B. Lamy* exhibet *Cl. D'Outremerius* Fasc. V. sect. I. pag. 624. me deprehendisse existimo. Innumeris enim in locis veterum scriptorum contigit ut *amanuensis* vel *dictans* vel *scribens* similitudine vocum *affinium* deceptus & litterarum vocumque bis repetitarum, quæ inter utramque intercedebant, *omissis*, illa quæ *secundam* excipiunt vocem, *prioribus* continuo subiceret, cujus exempla haud pauca notavit celeberrimus *Clericus* in *Arte Critic.* P. III. sect. I. Cap. V. quod & sæpius mihi met ipsi usu venisse memini, cum quædam iterato scripti, & Typothesis, quibus schedas meas typis excudendas miseram. Idem huic loco contigisse reor, cum post *ξηρῶν* ὄ. 3. sequatur *ἐκδεχομένων* & reliquis interjectis versu 5. ἦν δὲ κ. γ. λ. Scriba vel dictans oculos coniecit, misso priori *ΕΚΔΕ*, ad subsequentia *ΗΝΔΕ*, atque inde, cum fortasse *utraque* voces *principium* lineæ occupaverint, factum est, quo ductu *affinium* litterarum deceptus, quæ interjacent inter *ξηρῶν* & ὄ. 5. omiserit. Nam & sæpius scribæ *affinitate* litterarum seducti, mendas adsperserunt libris eodem Doctiss. Clerico Cap. IV. ejusdem scripti id monente & pluribus exemplis illustrante. Antiqui autem unius codicis error (qualis est hujus Paris. antiquissimi) ad plures descendit, quemadmodum plures Cod. Mscr. Græci & versio Coptica eadem verba non exhibuere, ut *Cl.*

Kusterus, in præfat. ad Millii N. T. quod recudi curavit, testatur, ipseque Millius in Proleg. §. 433. notisque ad h. l. observavit. Exinde apertum est frustra *Scholii* loco habere ommissa verba viros doctos *J. J. Cramerum* aliosque, quem proinde locum simul hac opera ab eadem nota liberavimus, ut plurima peculiari diff. quæ III. est hujus fasciculi, quamque altera ejusdem *argumenti*, (ex quo plura loca scholiorum nomine postulata esse ac quæ ibidem examinavi, dein comperi, quæque æque à *glossematibus* immunia esse puto) alio tempore excipiet.

XXIX. Difficultas, quæ ex *ισοδυναμία* vocum *μηλωτή* & *αίγειον δέρμα* redundat Hebr. XI, 37. quam sect. III. §. 9. sqq. Fasc. V. exposui, tolli quam expeditissime posset, si, levissima mutatione, pro *μηλωταῖς* legeres *μαῖλωταῖς*. *μαῖλωτή* enim dicta est vestis villosa à *μαῖλωις* seu *villis* subaudita voce *χλαμὸς* seu *ἔθης*, etiam *μαῖλωιός* vocata ellipsi vocis *χιλῶν* (qualis à vestitu ex *velleribus animalium* confarcinato distincta est) quamque *μαῖλωτὸν χιλῶνα* villosam tunicam vocasse Platonem comicum observat Pollux L. VII. Cap. 13. agens de variis vestibus, §. 57. ubi hanc vocem explicat, recteque Seberus in notis monet aliud *μηλωτήν* esse aliud *μαῖλωτήν*, quarum altera vestem *pelliceam*, altera ex *villis* contextam indicat. Sic *Σάγμα* apud Aristoph. Vesp. v. 1137. exponit scholiastes per *αἶγον μαῖλωτὸν villosum sagum*.
Sed

Sed religioni mihi duco in sacrarum litterarum explicatione ita ingenio indulgere critico, ut sine codicum autoritate aut antiquarum versionum fide, vel levissimum litterulæ apicem, nisi summa necessitas exigat immutem. Adeoque hanc conjecturam, simulatque mihi nata est, repudiavi, ea tamen de causa protuli, quo judicent alii, num ea quidpiam sinceri magis, quam videtur auctori suo, polliceatur hariolatio.

XXX. Ibidem §. 19. secutus vestigia Alexandrini Codicis loco ἐπὶ ταφῆ in Syracidis loco XL, 1. emendavi ἐπιταφῆς, quam nondum sperno conjecturam. Attamen cum dein acceperim Complutensem editionem exhibere εὗρος ἐπιπροφῆς ἡμέρας εἰς κ.λ.λ. eam lectionem priori loco habeo. Muto tantum legitimæ constructionis causa ordinem verborum, legoque εὗρος ἡμέρας ἐπιπροφῆς usque ad diem REDITUS in terram matrem viventium: quæ adprime conveniunt oppositioni antecedenti ἀφ' ἡμέρας ἐξόδου à die EXITUS ex utero matris, eoque modo hic salva sunt omnia.

XXXI. Commodum heic loci meis interfero Theologi cujusdam Groningensis, quod cum ipsius veniâ factum iri sperem, observationem ad locum Gal. IV, 25. 26. de quo late ibi §. 16--19. disputavi. Occasione enim perlectæ meæ dissertationis ea illi excidit, & mecum communicata est beneficio Viri mihi amicissimi Michaëlis Rossalli, egregii Civitatis illius A-

academiæ & litterati orbis incrementi, quam
 ex ipsius ad me missis litteris, excerpo. Ea
 si tibi, lector, placuerit utrisque Viris celeberrimis & Theologo illi (qui mihi ignotus est) & litterarum harum auctori, gratiam referas quam & ipse iisdem habeo pro benevolo de meis qualibuscunque conatibus iudicio. Verba ejus hæc habe.

„Institutum tuum, Vir Celeberrime, quo N.
 „T. glossematibus non esse corruptum, ut
 „multi putant, probare suscepisti, non modo
 „laude est dignissimum, sed eo nomine multum tibi res Christiana debet. Cum exitio quodam Theologo de tua illa dissert. quum mihi nuperrime sermo esset, testatus est Vir egregius sibi *Agaris* allegoriæ explanationem maximopere arridere, optavisse tamen non omissum a te quid significant voces *Agar* & *Arabia*, nam inde, aiebat, ea mysteria illustrari posse. Addebat Te p. 732. non solum recte demonstravisse τὸ πᾶντων Gal. IV, 26. nullo modo esse glossema, sed etiam ita isti loco hanc vocem convenire, ut vix inde tolli possit. Esse enim oppositionem inter Ecclesiam *Judaicam*, quæ est unius mater populi, & Eccles. *Christianam* quæ contra est mater omnium populorum, solitumque esse Paulum hac significatione vocem πᾶντων usurpare, ut Coloss. I, 28. 1. Tim. II, 4. Tit. III, 2. Si quis autem plura exempla desideret ex Pauli Epistolis infinita possent repeti,

ut

„ut Rom. III, 22. IV, 16. &c.” Cum ego hæc ad loci Gal. IV, 25. 26. illustrationem chartæ mandabam, nescius fui Celeberrimi *Bentleji* in hunc locum conjecturam dudum ad incudem vocasse (quod fortuito dein & aliud agens cognovi) Clarissimum Theologum *Herm. Witsium* in peculiari ad h. l. scripta diff. quæ in T. II. Miscell. Sacr. quinta est, & præcipue §. 8. sqq. Quod si scivissem nonnulla, quæ eundem monuisse novi, prætermissem. Juvabit tamen utriusque nostrum labores contulisse qui sententia pares in eosdem muros machinam fabricavimus. Nec minus & schema *Witsii* de *allegoria* hujus loci §. 27--30. cum nostro quo conferatur, autores sumus. Neque enim ille typos latius quam ab autoribus sacris factum, explicare solet, unde quæ de allegoricis rebus scripsit *Witsius* maxime ut plurimum sunt ex palatus nostri sententia. Quid autem explicatio vocum *Agar* & *Arabia* ex sententia celeb. illius Theologi, huic allegoriæ lucis dare possit, non adsequor facile meo ingenio, adeoque id ipsum illius eruditioni potius meditandum relinquo. Optimorum interpretum SS. Scripturæ sententia est *אגרה* denotare *peregrinam* à radice *אגרה* *peregrinari*, quemadmodum & *Hagar* Abrami ancilla *peregrina* fuit utpote *Aegyptia*. Gen. XVI, 1. 3. Hæcine fortasse notant & *Judeos*, quorum *Agar* typus erat, tum, cum N. Fœderis tempora illuxerant, non esse *indigenas* N. T. liberos

sed extra illud ejusque beneficia positos atque adeo *peregrinos*, quapropter & cum genuinis Novi fœderis liberis non possint esse *coheredes* v. 30? Confer Rom. IX, v. 5. sqq. præcipue vero Ephes. II, 12. coll. v. 19. 20. *Arābia* autem regionem *nigris* habitatam incolis notat a ארבי, unde & *Erebi* loci subterranei *nigerimi* nomen. Vide Bochart. Phaleg. L. IV, c. 2. collata diff. nostra de *Tuckim* in Fasc. III. Class. II. §. 7. At, qua ratione ea significatio his applicari possit rebus, non facile dixero. Neque enim ullibi facilius labimur, quam in ejusmodi explicationibus quæ meris conjecturis constant, quæque ceræ ad instar facile centum formas accipiunt pro cujusvis ingenii adlubescencia.

XXXII. Dum autem illam Celeberrimi *Rossalli* epistolam præ manibus habeo, permittat mihi Vir longe eruditissimus & humanissimus ut binas ejus observationes explicationesque pereruditas vexatorum locorum Philipp. III, 9. & II, 2. iisdem literis multivaria eruditione refertissimis, ad me perscriptas, inde tollam, atque purpureum hunc pannum, late qui splendeat, nostro centoni adsuam. Ea enim occasione hæc ad me dedit quo sententiam suam a mea quam Class. I. Fasc. V. p. 707. proposui, diversam esse ostenderet, quam ejus disensus professionem perquam gratam mihi fuisse testor, magnopereque eo nomine ipsi gratias habeo. De prioris

ris enim loci Philipp. III, 9. sensu Viro eruditissimo palmam concedo, credoque eam veriore[m] esse mea. At de altero loco quo aliquid certi statuam, mihi diem deliberandi sumo. Ita vero V. Cl. "Philipp. III, 9. δικαιωσύνη διὰ πίστεως Χριστοῦ non est idem ac δικαιωσύνη ἐκ Θεοῦ ἐπὶ τῇ πίστει. (vid. p. 707.) Prius medium ostendit διὰ π[ισ]τ[ε]ω[ς]. X. posterius fontem vel causam. ἐκ Θεοῦ est, sed διὰ π[ισ]τ[ε]ω[ς]. vel ἐπὶ τῇ πίστει. Rom. III, 21. Ἐνεῖς νόμος δικαιωσύνη Θεοῦ πεφανερωται i. e. δικαιωσύνη ἢ ἐκ Θεοῦ ψ. 22. δικαιωσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως I. X. εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας Ἰσραὴλ πιστευοντας rursus Θεοῦ pro ἐκ Θεοῦ, διότι ἐξ ἔργων νόμος εἰ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ &c. Alia est secundum Paulum ἢ δικαιωσύνη ἐξ ἔργων νόμος, alia δικαιωσύνη Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, vel, quod idem est, δικαιωσύνη ἐκ Θεοῦ ἐπὶ τῇ πίστει. Omnes peccarunt tam Judæi quam gentes, neque justificari possunt Judæi ex lege, quæ dicit fac & viues, quia ne unus quidem fecit, neque gentes ex lege naturali &c. Superestque unica salus omni homini, tam Judæo quam Gentili, ἢ δικαιωσύνη ἐκ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, vel ἐπὶ τῇ πίστει. Oponit Paulus suam justitiam, quæ est per legem, justitiæ DEI quæ est per fidem τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιωσύνην, τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ. Ut nullo modo pro Χριστοῦ hic ponatur Θεός.

XXXIII. Addam etiam verbum de loco altero Phil. II, 2. Non necesse est cum Cl. Lampio τὸ φρονεῖν intellectui putare esse proprium,

„prium, nam & Hesychius & Cyrilli Lexicon
 „Mscr. explicant φρόνημα per βέλημα φελημα.
 „Unde forsā explicandus Apostolus Rom.
 „VIII, 5. 6. 7. Sicuti aliud est τὰ τῶν νομαίων
 „φρονεῖν, aliud τὰ τῶν Καρχηδονίων quod signifi-
 „cat esse harum vel illarum *partium*, atque in
 „has vel illas studio & *affectu* ferri. Vide mi-
 „hi Joseph. L. XII. Ant. Jud. 7. de Antiocho.
 „Portas ei aperuerunt ἕσοι ἰῆς ἐκείνῃ προαιρέσεως
 „ἤσαν. Tum vero ille πολλὰς ἀπέκτειναν ἰῶν ἐναντία
 „ΦΡΟΝΟΥΝΤΩΝ. Qui *diversarum adversarumve*
 „potius erant *partium* hic dicuntur ἐναντία φρο-
 „νεῖν sive *contraria aliterque sentire*. Idem Cap.
 „8. μὴ προσδεχομένων δὲ ἰς λόγους, ἀλλὰ τ' ἀναν-
 „τία φρονούντων de Judæis non recipientibus
 „sermones Antiochi, sed aliter sentientibus.
 „Et quid, quaeso, aliud esse potest τὸ φρόνημα
 „τῆς σαρκὸς quam illud malum quo cum stu-
 „dio atque cum affectu & propensione suapte,
 „id quod nomine *carnis* venit, decurrit, quod-
 „que deinde fit *causa mortis* homini, isti τῆς
 „σαρκὸς φρονήματα obsequenti. (d) Hæc indicaf-
 „se

(d) Non satis attendit elegantissimus *Rossallus* ad men-
 tem meam, alias non necessum duxisset probare, de
 quo nemo, nisi hospes in Græcis literis, dubitaverit,
 τὸ φρονεῖν de ipsa *voluntate* sæpenumero adhiberi.
 Exserte id concesseram, sed hoc in loco, ubi ab actu
voluntati proprio distinguitur, ad solum intellectum
 spectare censueram. Qua in hypothese nihil abso-
 num statui potest. Nam τὸ φρονεῖν aliquando etiam
 de *intellectu* usurpari, id exemplis adstruere superva-
 caneum foret. Et sæpissime usu venit, ut, quando

„se intelligenti sufficiat. Jamque vides quid
 „putem Philip. II, 2. esse τὸ αὐτὸ φρονεῖν ut u-
 „no eodemque affectu & studio uno quasi ju-
 „go per tot difficultates ac calamitates agen-
 „tes, omnes trahant, neque in diversa studia
 „abeant vel in contraria currant. Neque hoc
 „externa quadam forte utentes arte vel simu-
 „lacione sed ut hoc faciant pari se omnes mu-
 „tuo *sincera charitate* complectentes τὴν αὐτὴν
 „ἀγάπην ἔχοντες. Τῷ το μείζον, inquit Theophy-
 „lactus, τῷ το αὐτὸ φρονεῖν τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχετε.
 „Μὴ φιλέμενος ὑπερβαλλόντως αὐτὸς, φιλεῖς Φαυ-
 „λῶς, ἀλλ' ἴσω τῷ μέτρῳ. Σύμψυχοι, ut explicet
 „istam *amoris Christianorum mutui paritatem*,
 „vult cum esse qualis est *unius* ejusdemque
 „hominis in *se ipsum*, in quo intensiois vel di-
 „versitatis aliquid reperiri non potest, neque
 „etiam

duo vocabula in sacris conjunguntur, quae separatim
 usurpata, synonyma esse possent, in arctiori significato
 sint intelligenda & se invicem limitent. Sic ex. gr.
 cor & anima synonyma sunt, quando in diversis lo-
 cis leguntur, sed quando conjunguntur, prius ad vo-
 luntatem posterius ad affectum referri solet. Idem
 obtinet, ubi Spiritus & anima, justitia & sanctitas,
 improbi & peccatores, atque sic sexcenta alia junguntur.
 Quae regula hermeneutica, uti mihi firmissimis nixa
 fundamentis apparet, ita quamplurimis locis, quae a-
 lias tautologiam sapere videntur, non parum lucis
 adfert. Cæterum doctissima est Clarissimi Rossallii
 ad hunc locum meditatio, & in summa rei illi me-
 cum convenit, quod in phrasibus Paullinis climacenz
 agnoscat, de quo consensu Viri sagacissimi impense
 mihi gratulor. F. A. L.

„etiam fingi, uno scilicet tempore, *unam ani-*
 „*nam habentes ὡς μία ὄντες ψυχὴ, ἔ τῆ ἰσεία, ἀλλὰ*
 „*τῆ γνώμη καὶ ὁμονοίᾳ.* Novisti morem Pauli,
 „qui cum alte cogitet, timens ne non satis in-
 „telligatur, mentem suam non satis expres-
 „sam aliis verbis clarius explicare solet, quæ
 „non ita sunt priorum similia, quamvis eis
 „sententiæ quædam inât affinitas, ut non et-
 „iam, præter priora, aliquid *novi* dicant, quæ
 „equidem *tautologia* dici non possunt. Quia
 „vero nonnulli istud *σύμψυχοι* ut obscurius
 „non intellexissent, vel etiam propter quos-
 „dam Philosophos de eadem animæ essentia
 „per errorem capere potuissent, propterea vi-
 „sum videtur Apostolo vocis ambiguitatem
 „definire per istud τὸ ἐν' *φρονέυτες*, quasi dice-
 „ret *σύμψυχοι* h. e. τὸ ἐν' *φρονέυτες* non tantum
 „τὸ αὐτὸ ut mox, sed & τὸ ἐν' quo summa con-
 „sensio notatur, quaque nulla major fin-
 „gi potest qualisque demum esset eorum
 „qui quasi communem haberent animam
 „essentque *σύμψυχοι*.” Hæc elegantissimus
 „*Rossallus*.

XXXIV. Ex quo vero ab amicis quibus-
 dam monitus sum de ea dissert. meæ de *Glof-*
sem N.T. parte, qua §. 11-13. nonnulla de *con-*
glomeratis variis ejusdem sensus Phrasibus in N.T.
 protuli, non usque adeo æque benignum ju-
 dicium viros quospiam doctos tulisse ac qui-
 dem de reliquis ejus dissertationis partibus,
 veritos ne ea sententia quidpiam Majestati
 styli

styli SS. litterarum decederet : ego vero ex multis rerum documentis perspectum habeam, neminem fere, qui ea, quæ illic scripsi, vidit aut censuit, sententiam meam exploratam habere, eosque *aliam* mihi affingere de qua ne vel per somnium cogitavi ; necessitatem mihi injunctam video, quo heic loci prima quaque occasione hunc foetum relambam, partim quo mitius de me sentiant, partim ne mota mihi à quopiam olim ex re non satis intellecta, controversia, Cl. Werenfelsii *Logomachia*, (neque enim in *rebus* discrepantes sumus) hac accessione adaugeantur. Neque tamen viri docti in culpa sunt, quod ea mihi tribuant, quæ ipse abnuo, sed orationis brevitatis, qua eam sententiam, illic obiter tractatam, exhibui, qua dum brevis esse volui, obscurus factus sum. Maxime vero se ex iis fortasse expedire nequiverunt quæ p. 715. scripseram & prima fronte sane aliquid præ se ferre videntur sententiæ durioris, non attendentes ad ea quæ p. 706. leguntur, ubi paucissimis verbis sententiam meam exhibui, sed omnino *bene* animadvertendis. *Sepissime*, dixi, *scriptura phrasēs equipollentes* EXPLICATIONIS CAUSA ex CONSUETO tam inter JUDAEOS *Hellenistas* MORE loquendi jungit. Ex his quæ dein de *tautologiis* scripsi p. 715. explicanda sunt. Fefellit itaque viros egregios ambiguitas vocis *tautologiae*, qua plerumque *virium orationis* solet indicari, quoque spectat

Etat viri doctissimi ejusdem vocis definitio
 p. 713. SUPERVACUA *vocum idem significan-*
tium repetitio quæ aliis otiosa repetitio est. Hæc
 idcirco *vitia sermonis tautologica* putant me tri-
 buere Sacro codici, quam sententiam ego,
 utut cum multis Ecclesiæ patribus tueri facile
 possem (vide Theophylactum aliosque ad
 Luc. I: 20.) tamen illi ultra Garamantas & ul-
 tra Thulen ad Cimmerias tenebras exilium
 decerno. Idcirco vellem me plane a voce
tautologiae ibidem abstinuisse. Nunc vero, cum
 ea usus sim, quo sensu id factum sit osten-
 dum est. *Tautologia* est ex eorum vocabulo-
 rum genere quæ μέσα dicimus. Nihil enim
 aliud notat quam τὸ αὐτὸ λέγειν *idem dicere*.
 Potest autem quis *idem dicere* sæpius & τὸ αὐ-
 τὸ λέγειν ut neutiquam *vitium* in sermonem com-
 mittat, quod qua ratione in SS. litteris con-
 tingat indicavi fieri (1) EXPLICATIONIS
 CAUSA, & (2) ex CONSUETO inter Judæos
 LOQUENDI MORE. Quæ cum ita se ha-
 beant, ut *idem* aliis vocibus proferatur, est
 certe *tautologia* seu *idem dicitur* τὸ αὐτὸ λέγειν,
 sed cum non eodem modo dicatur, non est talis
tautologia quam inter orationis *navos* habe-
 mus, præcipue cum fit *explicationis causa*, aut
 ex *consueto populorum stylo*. Duplex itaque da-
 tur *Tautologia*, alia quæ orationi suum de-
 cus & *elegantiam* conciliat, quam ego definitio
vocum idem significantium concinnam repetitionem:
 alia vero, quæ sermoni *dedecori* est iisque cir-
 cum-

cum scribenda verbis quæ antea aliunde protulimus. Illas in sacris litteris pervulgatas esse putamus, has vero easdem continere nulli unquam cogitavimus. Qui enim, ex pervulgato vocis *tautologia* significationis sensu, id posset orationis *vitium* dici, quod *explicationis causa & ex consueto stylo populi* proferri indicabam? Neque enim populum Judaicum ejusque linguam pro barbara atque ridicula habeo aut sermonis scabie laborante. Caveant itaque alii sibi a voce *ταυτολογίας*, quod per me licet, ego eam non respuo ea, quam protuli, significatione. *Reipsa* enim quod antea indicabam nemo a me sententia alienus est eruditorum, utut verbis sit, neque etiam per rerum naturam esse potest. Hinc ea minime frustra posui dum dixi p. 715. *me non de VOCIBUS litigare, dummodo de RE ipsa constet*, quod sane maxime consulto, alienas interpretationes prævidens, monebam. Subjungamus his quæ doctissimus *Camero* notavit ad 1. Tim. II: 1. qui & ipse vocem *tautologias*, quatenus *vitium est sermonis* respuit, attamen *idem dici seu tautologiam bonam* eo in loco latere minime negat, quomodoque hoc fiat eleganter explicat. *δέησεις, προσευχάς, ἐνλεύξεις*, cum ibi fieri jubeantur, *UNA eademque res*, ait, *DIVERSIS NOMINIBUS significatur*. Neque tamen hæc vocabulorum, *EANDEM REM significantium ACCUMULATIO* pro *tautologia* est habenda (sane non quatenus *tautologia vitium oratio-*

orationis est) *Esi enim, pergit, IDEM significatur, tamen non EODEM MODO significatur, id quod ad constituendam tautologiam (priori sensu) necessario requiritur. Ceterum IDEM BIS significatur sine tautologia (ejusmodi, attamen non sine tautologia altera, prius explicata) DUOBLIS modis, vel cum proprio vocabulo figuratum adjungitur, vel cum plura vocabula junguntur sive propria sive figurata. Id quod fit rursus duobus modis. Vel enim notius vocabulum jungitur obscuriori, vel in significandi modo diversitas quaedam est. Recte! bene! Videtis eum tantum à voce tautologias abhorrere, attamen cum omnibus illis distinctionibus concedat nihilofecius quavis voce aut phrasi cum altera *idem* dici, fugit tantum incommodum multis vocis tautologiae sonum, ne in animis hominum pariat præjudicium. Ceterum cum *idem* dicitur, etiamsi millenis *aliis modis* dicatur, est tamen id tautologia, bono sensu ex vi hujus vocis naturaliter oriundo, & erit per æterna sæcula.*

XXXV. Tautologiae proinde quæ *nevi sermonis*, sunt *battologia* & *ineptæ vocum earundem rerumque iisdem aut pauculis aliis tantum vocibus prolatarum repetitiones*, quales in mulierculis Plautinis notavi §. 8. dictæ dissertationis. Sed quantopere inde distant tautologiae seu *phrasium idem significantium conglomerationes*, quas in N. T. dari dixi, & exhiberi cum *explicationis causa*, tum ex consueto populi stylo, monui? Nollem itaque hæc cum illis pari
passu

passu ambulare. Dum proinde Vir doctissimus Marc. IX: 43. monet p. 712. se habere alteram phrasin pro ἐξυγηπικῆ & Joh. I: 20. habere singularem emphasin, ego neutrum abnuo. Habeo enim has phrasas in earum numero quas dixi *explicationis causa* alteri jungi, in quem censum pleraque, quæ protuli, exempla referenda censeo. Confer quæ cl. *Hombergk.* notavit in *Parerg. Sacr.* ad Luc: II: 14. Idem esto de *Celeberr. Rossalli* observatione ad Phil. II: 2. §. 33. excerpta iudicium. Essent enim ex ejus sententia quatuor illæ phrasas explicatoriae. Has ego neutiquam repudio, imo potius infinitas dari credo similes. At tamen cum unaquaque ex vocum emphasi eandem contineat sententiam, illic certe latet phrasium idem significantium cumulus, quem ego *tautologiam* ex ejus significatione vocis dixi. Ad easdem locutiones varias *explicationis causa junctas* pertinet & *exergasia*, qua bina vel ternata commata idem significantia exhibentur, quas frequentissimo numero tradere SS. litteras, nonnullis exemplis antea docui §. 2. 3. 27. aliisque dein §. 38. confirmabo. In eorum censum referendam esse Marc. II: 19. quam & huc retuleram, ibidem p. 711. hac diff. §. 3. indicavi. (e) Atque cum illud schema in *Class. II. Fasc. VI.* Yyy Car-

(e) Quæ de *exergasia* & heic & supra a Viro Celeberrimo &, non obstante levi quadam in sententiis discrepantia, uti decet homines modeste de se sentientes & fru-

Carminibus Hebræorum nullibi non appareat,
eo & pertinere cenſeo hymnum Angelorum
Luc. II: 14.

DEO

fragilitatis humanæ bene conſcios, ſuaviſſima mihi
neceſſitudine devincto, poſt alios ac præcipue Cla-
riſſimum Schoetgenium monita ſunt, tam ſunt evi-
dentia, ut exempla ejus utramque tantum non pa-
ginam, cum primis in libris poeticis & propheticis fa-
ciant. Quando vero fontes hujus, qui per totam
linguam ſanctam dominatur, idiotiſimi perquiro, ex
Muſices antiquiſſima ratione eum repetendum eſſe
exiſtumo. Singulare ejus in populo Dei a primis cu-
nabulis fuit ſtudium. Uſu vero in arte hac ſectanda
potiſſimum veniebat, ut poemata alternis vicibus
decinerentur, quæ carmina a Græcis ἀμειβόμενα
dicebantur. Conſuetudo eorum Hebræis tam fami-
liaris fuit, ut jam a Moſis temporibus משיב, *reſpon-
dere* idem ſit, quod *canere*, uti patet ex locis Exod.
XV. 21. XXXII. 18. Num. XXI. 17. Plura in hanc
rem notavit Celeb. van Till Sangkonſt der Hebr. p.
524. ſeq. Quam frequens mos idem in Muſica &
poeſi Græcorum & Latinorum fuerit ibidem p. 135.
ſq. evictum eſt. Conferri poteſt Jf. Voſſius ad Catul-
lum p. m. 239. 240. Cum primis huc pertinet
Σπχομουδία, de qua Pollux Onomaſt. lib. IV. c. 114.
Σπχομουδεῖν δ' ἄλεγον, τὸ παρ' ἐν ἰαμβεῖον ἀντι-
λέγειν, καὶ τὸ πρῶγμα ΣΤΙΧΟΜΤΟΙΑΝ. Adde
ῤαψώδεις Homericos alternis Homeri verſus repe-
tentes, quod ſecundum Diogenem Lærtium a Solone
jam inſtitutum eſt lib. I. c. 57. Ταῦτε Ὀμήρου ἐξ ὑπο-
βολῆς γέγραφε ῤαψωδεῖσθαι, οἷον ὅτε ὁ πρῶτος
ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἀρχεσθαι τὸν ἐχόμενον i. Homeri poe-
mata, alternatim ut decinerentur ſcripſit, ut ubi primus
deſierat, inciperet ſequens. Confer commentatores
& præ-

DEO	in excelsis	gloria
---	supraterram	pax
---	in hominibus	beneplacitum.

Yyy 2

Na-

& præcipue *Menagium* l. c. Cui jungi possunt *Leo Allatius* de patr. Homeri c. 5. *Meursius* Pisistrato c. 12. *Perizonius* ad *Ælian.* lib. VIII. c. 2. *Scherpezelius* ad Homer. *Iliad.* l. p. 2. Mos hic vetustissimus in Ecclesiis Christianis per *Antiphonas* renovatus est, de quibus consulantur *Bona* de psalmod. divin. c. XVI. §. 10. & rerum liturg. II. 3. *Casalius* de rit. Christ. c. XLVI. *Brouverus* ad Venant. Honor. V. 3. *Tenzelius* Exerc. Select. P. I. p. 395. 396. *Suicerus* Thes. Eccles. in *Αντιφωνη*. Singulare sane decus in talibus antiphonis sententiarum similium duplicationem habuisse, unicuique facile liquebit. Quod si tamen accurate loqui velimus, nescio an simpliciter de *exergasia* in sacris possit perhiberi, scriptores divinos ea utentes τὸ αὐτὸ λέγειν, seu *idem dicere*, cum id nobis concedatur, sententias simile quid sonantes & sibi invicem subjunctas priorem per posteriorem illustrari atque explicari. Hoc enim si admittatur, uti fieri fas est, sequens sententia aliquid semper sibi privum præ priori habebit. Qui canon eo magis in carminibus sacris est admittendus, quia vel ab ipsis profanis *carminum amœbeorum* scriptoribus religiose erat observandus. Ita *Servius* ad Virgil. *Eclog.* III. v. 28.

*V*is ergo inter nos, quid possit uterque, VICISSIM

Experiamur ---

Vicissim id est amœbeo carmine. Amœbeum autem est, quoties ii, qui canunt & equali numero versuum utuntur, & ita se habet ipsa responsio ut aut *MAJUS*, aut *CONTRARIUM* aliquid dicat. Atque in hac quidem thesi suffraganeum sibi facile habebit Doctissimus Author horum analectorum opti-

Nato enim nunc Sospitatore mundi, DEO in *excelsis* redditur *gloria*, quod Deus homo factus est, quodque animæ beatorum, criminibus maculatæ & a communione Dei eapropter alienæ, per *sanguinem* & sacrificium piacularerecens nati Sospitatoris cum eo reddituræ sint in amicitia gratiam, Deoque hinc *gloriam* juxta cum *angelis* quam ferre par est, exhibituræ. DEO etiam *supra terram* pax erit, quæ non de terrena sed *animarum nostrarum* pace intelligenda. Inde porro DEO erit in *hominibus beneplacitum* propter reconciliaturam propediem cum iis *amicitiam* per oblationem corporis recens nati filii sui. Agitur itaque his tribus commatibus de iis cum quæ in *cælo*, tum quæ in *terra* contingent, quod ex oppositione patet. Hinc intelligitur *binis* ultimis commatibus de *eodem* agi *subjecto*, de *terra* seu *hominibus* in terra habitantibus, quod ipsum & exinde perspicitur, quia commata hæc *copula* destituuntur. Egregie hoc fit per *exergasie* figuram, nobilissimam in scriptis Hebræorum

optimorum Interpretum chorum. Plus discrepan-
tiæ in sequenti adserto erit, quo luxuriantem Asiæ
stylum in auxilium vocat; cum pleonasmos simpli-
citer ita dictos non facile in stylo Spiritus sancti ad-
mittendos & luxuriam illam in stylo Barbararum gen-
tium non inter ornamenta sed vitia orationis habendam esse Viri egregii argumentis non contemnendis adstruere adlaborent. De qua tamen re innocue & absque ulla heterodoxias aut irreverentiæ erga Scripturam sacram suspicione disputari posse certum est.
F. A. L.

rum, ex quarum frequenti ellipsi & vocibus ex prioribus commatibus repetendis, patet in ultimis commatibus Θεω de novo subaudiendum esse, quod observasse ad loci intelligentiam mirum quantum conducit. Interea tamen cum in omni *exergasia*, *idem bis* vel *ter* dicitur, quidni illud schema, *tautologia* dici posset? quamvis ineptus esset qui *exergasiam* in partem *vitiosæ orationis* traheret.

XXXVI. Altero vero loco ad *vitiositatem sermonis* à scriptoribus sacris depellendam, quod *repetitis idem significantibus utantur crebro phrasibus*, facit summopere *consuetum hunc inter Judæos loquendi morem fuisse*. Hoc non modo tot indicata à nobis exempla ex N.T. sed & millena ex *veteri*, quæ produci possent ostendunt. Testabuntur hoc omnia *Judæorum*, veterum recentiorumque scripta, similibus maxima copia abundantia. Testabitur universus populus totius *orientis* Judæisque vicinorum styli, *Arabum*, *Syrorum*, *Chaldæorum*, *Persarum*, &c. in quorum scriptis nihil his est frequentius. Quid exempla repetere juvat, cum doctis undique & undique sint in promptu? Neque enim noctuas Athenis inferre placet. At cum hoc stylo *Judæi* ceterique *Orientis* populi crebrius utantur quam quidem *Græci* & *Latini*, quos à pueritia imbibimus, hinc nobis *insolitæ* adeo & tantum non plebejæ principio apparent. Unde fit ut ejusmodi præjudicio occupato animo, easdem a SS. litteris summo stu-

dio depellamus, causantes inde ejus styli ma-
 jestatem in hominum animis plurimum posse
 capere detrimenti. At consideratio curatio-
 exactiorque styli eorum populorum, qui pe-
 culiarem deposcit curam & attentionem, neq;
 cum aliis ipsi haud similibus commiscendus est,
 in aliam nos sententiam & quidem mitiorem
 longe ducit. Deum enim autumamus *Judaici*
 populi loquendi genio cum in V. T. *He-*
braicis verbis, tum in N. T. *Græcis* vocibus se
 accommodasse. Hinc, quæ *elegantia* erant
 Hebraici sermonis, iisdem & DEUS usus est
 & convenienter suæ majestati & decori, nul-
 lam rationem habens *elegantia* sermonis alio-
 rum populorum aut curans, utrum illis acce-
 ptæ sint nec ne. Quapropter, etsi in *Græca*
 & *Latina* ceteroquin oratione tot *repetitiones*
vocum idem notantium non usque adeo com-
 mode exciperentur, nihilominus in sermone
 ad genium styli *Hebraici* composito, qui ab
 his plane diversus est & dispar, eadem in ele-
 gantissimarum locutionum, quo apud eun-
 dem populum loco habentur, censendæ sunt
 numerum. Alius enim est stylus *Asiaticus* a-
 lius *Europæus* neque facile alter ex altero di-
 judicandus. *Asiaticus* luxuria diffluit, quod ad
 ejus *veneres* pertinet, *Europæus* non item. *Eu-*
ropæus itaque si *Asiatico* incedat more, mul-
 tum vitii secum traheret, ut contra *Asiaticus*
 si *Europæa* loquendi methodo circumscribe-
 retur. Nihil enim in *linguis* censemus esse di-

vini, sed unamquamque suis gaudere *veneribus*, quas altera negligit, imo in altera sæpe, si adhibeantur, sermoni vitio cedunt, nisi ad alterius linguæ genium accommodentur, quod in scriptoribus N. T. accidit, qui Græca Hebræorum sermonis indoli attemperant. Eandem quidem idcirco sentio hanc opinionem meam parere posse difficultatem, quam olim de *Hebraïsmis, Syriasmis, Chaldaïsmis, lingua Hellenistica &c.* doctorum sententiæ, quæ principio varias turbas dedere, ad quas tamen hæc nondum exerevit, postea tractu quodam temporis communes factæ sunt omnium eruditiorum. Cl. *Rhenferdii* diff. de *stylo Apocalypseos Cabbalistico* principio multos censores nacta est, at quis hac litterarum Hebraicarum luce de ea hypothese vel dubium sermonem expromeret? Quemadmodum itaque his sententiis nihil *majestati styli SS. litterarum*, quod tamen & olim multi verebantur, decedit; ita nec nostra, qui eandem ex genuinis fontibus styli populorum *orientalium* & inprimis *Judaici* repetimus. Ea in re ut nunc clarius mentem explicuimus, cum persuasi essemus nos habere si non adsentientes certe non multum adversantes multos harum linguarum viros peritos, hinc & ea fiducia scripsimus illa, quæ nondum expungi cuperemus p. 715. *Hoc seculum non adeo ineptum esse ac quidem prius ut stylum sacrorum scriptorum ad illum Ciceronis & Demosthenis exigere velit*, a quo

longe mirum in modum diversissimus est. Idque non sine gravi de causa scripsimus, quoniam id si fiat, neque ad *Hebraicum* loquendi genium SS. examinetur stylus, sæpissime hominibus, adfuetis unice locutionibus auctorum Græcorum & Romanorum, stylus SS. litterarum quidpiam *barbari* redolere videatur. Atque unde quæso aliter factum est? quod *Petrus* aliquis *Bembus* & *Angelus Politianus* aliique his similes, tam abjecte imo impie de stylo SS. litterarum judicaverint, quam quod ejus verba phrasæque Ciceronianis (quem unice sapere illi putabant) experti sint esse dissimilia, nihilque ipsis præter Ciceronem (o stultitiam!) esset in deliciis, illique stylum SS. perperam ad illum Ciceronis exegerint. Neque etiam hæc sententia nostra aliorum autoritate derelicta est. Utemur tantum brevitatis studio Viri in hoc studiorum genere exercitatissimi *J. Fr. Hombergk* testimonio, cujus hæc verba sunt in *Parerg. Sacr. ad Rom. VI, 6.* eadem de re fermocinantis. *Nec dicas, inquit, tautologiam alias esse in verbis Apostoli. Nam idem dicere non absurdum est. Nec enim ille orationem suam composuit ad regulam Ciceronis. Confer eundem ad Philipp. II, 2.* quamquam ibi vocem *battologia* nollem virum Cl. adhibuisse quales nullibi in SS. Litt. reperire potui. Quotiescunque proinde stylum *populorum orientis* judicio discernere cupimus, oblivioni tradenda sunt ut plurimum quæ ex *Vos-*

si hausimus & *Tesmari* Rhetorica, cui à pueri-
 tia innutriti sumus, atque ad Rhetoricam po-
 pulorum orientis, stylumque à Ciceronis &
 Demosthenis tantum sane distantem quan-
 tum India ab Hyperboreis regionibus, adver-
 tendus est animus. Quod si curatius fieret
 & studiosius, non tot alienis interpretationi-
 bus codicem sacrum vexarem, quas puerili-
 bus his serperastris nostris, dum eas in scriptis
 orientalium usui haud venire nondum pervi-
 demus, acceptas ferimus. Quod vero N. T.
 stylo idem sane usu venit *Judæorum* scriptis
 ceteris, in quibus similes reperire licet loquen-
 di rationes. Eapropter in iis nihil nisi styli
barbariem & rancorem, ineptos loquendi modos,
 &c. Viri ceteroquin boni & docti se depre-
 hendisse visi sunt, parum caventes has, quas
 eo nomine censent, optimarum dictionum in
 locum habendas esse, stylumque eorum ab
 Europæo mirum quantum discrepantem esse.
 Quod ut de illis tuto affirmatur, ita idem in
 pari causa de stylo SS. litterarum ferrent mul-
 ti iudicium, nisi verecundia prohiberentur.
 Quanquam hoc simile de scriptis *Judæorum*
 ultra tertium comparationis de styli paritate,
 extendi haud cuperem. Audiamus ea de re
 longe Celeberrimi *Relandi* querimonias, quod
 cum nostra sententia scopo & fine coincidunt,
 quas in prolegomenis ad *Analecta Rabbinica*
 reperimus. *Multi, inquit, cum ingeniosas pa-*
rabolas, & historias rerum, hyperbolica loquendi
Yyy 5 ratio-

ratione exornatas, in Talmude aliisque vetustissimis
 Judeorum scriptis aut legunt ipsi, quod perraro fieri
 videmus, aut ab aliis narratas audiunt, eo quod
STYLUM & GENIUM populorum orienta-
 lium **IGNORENT**, ad eas exclamant.

Gerræ Siculæ atque ædepol Lyra, Lyra!

Nec pauci sunt, quos isti homines in heresin suam
 congregant, quorum auribus **LOQUENDI RA-
 TIO RABBINICA** adeo **INSUETA** accidit,
 ut non vereantur Judæos pro ridiculo hominum ge-
 nere habere, & quicquid ab iis conscriptum est, uno
 ore atque animo damnare. Dein etiam cum
 objici sibi posse videret Hyperbolicos loquen-
 di modos alia oratione molliri potuisse (quod
 & nobis accidere posset objicientibus aliis, a-
 lias phrasas idem significantes omitti potuisse)
 respondet egregie Vir elegantissimus iis ver-
 bis quibus & hanc pertractationem, ne ni-
 mia copia lectori simus difficiles concludimus;
 Fateor, inquit, ita **NOBIS** videri, quibus **INSUE-
 TUS** hic scribendi **MOS** est, & apud gentes Eu-
 ropeas ridiculum fore qui hoc stylo uti vellet, sed
 veteribus longe alia mens fuit, & hodieque apud
 Arabas & Persas vestigium non leve prisca illius
 consuetudinis remansit. Unde nostris hominibus,
 tam absurda videntur illa eloquentiæ orientalis spe-
 cimina quæ elapso seculo in sermonem Latinum &
 Belgicum à variis autoribus sunt translata &c.
 Quoniam itaque homines ejusmodi stylum
 quo plurimæ voces phrasasque æquipollentes
 junguntur perperam in vitio habent, hinc om-
 nibus

mnibus cavent modis ne eundem SS. litteris
 adesse quispiam affirmet, & hoc quidem se-
 cundum præjudicatam opinionem recte, at
 secundum rerum veritatem pessime. Exfulan-
 te enim prima hypothesi, altera postliminii
 jure facile pristinum occupabit domicilium.
 Hæc vero præter consuetudinem, laxius hoc
 tempore litteris mandavimus, quo eruditi
 mentem nostram clare sine circuitione nosq;
 ea nihil alere monstri pervideant, & si for-
 sitan mihi accessuri non sint quidam, nihil ta-
 men normæ fidei & majestati sacrarum litte-
 rarum me sentire contrarii, jure quisquam
 me accusare queat. Earum enim rerum ego,
 si quispiam sum, tenacissimus.

XXXVII. Quam doctissimus *Vitringa* τῆ
 πατρὸς τὸ πειδίον in politissima diff. de *Lucta*
Jacobi, quæ in sexto fasciculo primum occu-
 pat locum, profert conjecturam sect. II. §. 15.
 ad locum *Hoseæ* XII, 6. quod pro זָכָרִי legi
 possit meliori sensu זָכָרִי recordatus est ejus, ne-
 mo erit omnino quin huic interpretationi
 præ vulgari facile palmam tribuerit. Totus
 ejus in castra descendissem, si *Alexandrinos* in-
 terpretes vir egregius sibi habuisset aditipulan-
 tes, ut quidem nactus est in explicatione loci
Gen. XXXII, 28. quem. sect. I. §. 7. ea luce
 illustrat, quam nemo non genuinam agnoscet.
 Cum autem antiquissimi hi peritissimique lon-
 ge interpretes, quos non facile derelinquo
 fidos duces, vulgatæ favere videantur lectio-
 ni,

ni, veniam det Vir celeb. si ejus emendationem in partem dubiam vocem. Reddiderunt illi: *ὁ δὲ κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ ἐστὶν μνημόσυνον αὐτῶν*: quæ ita explico. *Dominus Deus exercituum erit s. fuit recordatio ejus.* Quod autem in vulgari hujus loci explicatione nullum sit *prædicatum*, de quo Vir Cl. conqueritur, exinde est quod pronomen *relativum* in זכרו referant ad proxime præcedentem vocem *אלהי הצבאות Dominum Zebaoth* unde *memoriale ejus*, ut reddunt, explicant *nomen DEI.* Et *Jehova memoriale ejus* sc. *Jehovæ.* Sed *relativum* hoc referendum est ad *Jacobum.* Et *Deus exerc.* *fuit recordatio ejus* sc. *Jacobi*, de quo in antecedentibus *Propheta locutus fuerat.* v. 4. 5. Atque ita oratio hæc neque *subjecto* suo neque *prædicato* destituitur. Sensus autem orationis est. *Ex quo Jacob in Bethle cum Deo pugnam habuit & cum eo locutus est v. 5. &c. Dein eum Jehovaham exercituum coluit, & veneratus est perpetuo. v. 6. Quod cum ille fecerit, idem pergit Propheta v. 7. & tibi exemplo esse debet, Judæe.* Abhinc enim elegans est ad *Judæos* & cum cetera oratione cohærens *transitio.* Tu itaque (o *Judæe*) *converte te ad Deum tuum* (ut *Jacob fecit*) *serva benevolentiam & spem pone in Deo.* Quemadmodum autem *S. Scriptura de Deo agens memoransque eum recordatum esse hominum; ejus benevolentiam erga eosdem innuit, ut vir summus egregie observat: ita nec minus homines dicuntur Dei re-*

cordari cum ejus præceptis obediunt, eum colunt sedulo, & venerantur, atque ita eum perpetua quasi memoria circumferunt. Sic Deus miraculis suis dicitur condere זכר MEMORIAM suam inter HOMINES Psalm. CXI, 4. Præcipue huc facit Eccles. XII, 1. זכר MEMENTO Creatoris tui in diebus juventutis: hoc est cole eum, observa, &c. Confer Esa: XXVI, 8. LXIV, 4. &c. Sic DEUS παντοκράτωρ fuit Jacobi μνημόσυνον seu recordatio perpetua dum ex omni dein vitæ tempore Jehovæ partibus & cultui adhæsit. Reddunt quidem Septuaginta ἔσται μνημόσυνον ERIT recordatio, sed futurum positum est pro præterito, frequentissima enallage. Vide modo Glassiam Gr. S. L. III. tr. III. Can. 49. In Hebræo Codice elliptica locutio est, qua verbum substantivum יהיה fuit subaudiendum, ut fere in omnibus S. Codicis commatibus ea familiaris est ellipsis.

XXXVIII. Verum & hæc de Dei recordatione erga Jacobum æque sine ulla mutatione per quam optime accipi possunt, quo hæc pariter verba non Prophetæ, sed ipsius Dei sint, de semet ipso in tertia loquentis persona. Jehova vero Deus exercituum erit recordatio ejus seu recordabitur Jacobi h. e. propitius Jacobo erit Deus, & benevolus. Atque ita cum cetera oratione ista nec minus apte cohærent, præcipue si optimam versionem Alexandrinorum sequi placeat. Apparet enim sermonem esse Jehovæ hæc de Jacobo proferentis, quem-

quemadmodum & antecedentia exhibent Jehovahæ de Israelitis verba Cap. X. XI. XII. Ait vero Deus *ψ. 4. in utero matris sui (Jacobus) fratrem suum (Esavum) detinuit calcaneo.* Ubi respicitur ad historiam nativitatis Jacobi & Esavi & imprimis quæ Gen. XXV. 26. referuntur. Quæ sequuntur continent exaggerationem, quales sæpe dari in SS. *ψ. 2. sqq.* indicavimus. Bina enim hæc sibi respondent sensu commata.

<i>In virtute sua</i>	<i>viriliter se gessit</i>	<i>adversus Deum</i>	-----
<i>Et -----</i>	<i>viriliter se gessit</i>	<i>adversus angelum</i>	<i>Et prevaluit</i>

In priori commate *וַיִּכָּחַשׁ* & prevaluit, subicitur elliptice quia sequenti exhibetur. In altero vero *וַיִּצְדַּק* in virtute sua ex primo repetenda sunt. Porro dicit Deus: *flevit & supplicavit mihi.* (quæ pertinent ad ea quæ Genes. XXXII, 27, 29. legimus.) *Bethelè invenit (Jacob) me aut illum (sc. Jehovaham) & ibi locutus est cum eo sc. Jehova.* quæ verba rursus manifesto exaggerationis schema præ se ferunt.

<i>Bethelè</i>	<i>invenit</i>	<i>illum s. me.</i>
<i>Et ibi</i>	<i>locutus est</i>	<i>cum eo s. mecum.</i>

Quibus eodem sensu hæc indicantur, *Bethelè Jacob cum Deo familiariter conversatus est.* Optime interpretes Græci *ἠγάπησάν με* reddiderunt *ἐν ποσὶν μου* utut ex vulgaribus Grammatices regulis per relativum *illum* exprimi oportuisset, & si id significaret, quod illi cupiunt, *ἠγάπησάν με* scribi. Sed hæc non moramur qui scimus & ejus-

ejusdem esse & soni fere & *potestatis* litteras,
 & per *orthographiam* diversam alteram cum al-
 tera permutari. Qua propter nunquam pro-
 bavimus eos qui textum corrigunt ubi ex do-
 ctrina Grammatices Judæorum putant, sub-
 stituendum esse pro, aut vicissim. Conferet
 hæc observatio, quamvis verbo indicata mo-
 do, & ad tollendam discrepantiam variantis
 lectionis in secundo præcepto inter יְהוָה &
 יְהוֹוָה Exod. XX. & Deut. V. de qua crisin ex-
 hibet Celeb. Lampius Fasc. II. sect. IV. §. 3. U-
 trovis enim modo legas *ejusdem* hæc sunt *si-*
gnificationis nec re ipsa potestateque sed *ortho-*
graphia litterarum discrepantia sunt. Sed hæc
 apertius & dilucidius alibi. Ad prophetam
 redimus, ubi prolata quæ sunt, nostri comma-
 tis verba excipiunt. *Jehova* vero *Deus exerci-*
tuum, *Jehova* erit (eapropter) *recordatio* *ejus*
 (sc. Jacobi) seu *Ego Jehova* idcirco *recordabor*
 Jacobi, eroque *beneficus propitiusque Deus*
ejus & posteritatis *ejus*, quod feliciter adeo me-
 cum pugnaverit v. 5. Abhinc autem con-
 vertitur oratio ad Judam v. 7. *Et tu* (Juda)
convertere (æque) *ad Deum tuum*. Ita enim,
 cum ego *retribuam unicuique secundum vias* *ejus*
 v. 3. & ut Jacobo propterea quod mecum
luctatus est v. 4 5. *benevolentiam præstiti &*
præstabo. v. 6. Ita & hoc tibi continget,
 Juda, si *converteris ad Deum tuum* v. 7. Sin-
 secus &c. Atque hæc hæctenus.

XXXIX. Heic pedem figo , Viri summe
 reverendi, ne rerum multitudine & vestram
 & lectorum patientiam, nimis fatigem. Scri-
 psi autem hæc ea, ceu puto, styli mo-
 deratione, ut neminem doctorum virorum, a
 cuius in alia omnia recedo sententia, ulla ex
 parte famam læserim. Stet cuique inter eru-
 ditos sarta tecta sententiam proferendi suam
 cuivis libertas, nemoque in alterius acquie-
 scere verba, si parum fiant satis, cogatur.
 Respublica enim litteraria, si quæ alia, non
 fert tyrannos. Aliorum igitur iudicio ita usus
 sum ut & meo nonnihil reliquerim atque
 adeo nec cuiusquam mortalium studia exte-
 nuandi, nedum lædendi aut sugillandi, sed
 unice veritatis, quantum ea se nostro probavit
 ingenio, propagandæ studio, hæc calamo exce-
 pi. Et quanquã de iis disputavi rebus quas alio-
 rum erudita cura jam excusserat, spero tamen,
 ut nostra iis fortasse pari loco ubivis collo-
 canda multis videri possint, neutiquam ta-
 men & Iliada post Homerum me concinnas-
 se. Quicquid enim protuli proprii esse fun-
 di fructus, scio. Si vero & alieni sint, hoc est
 quo & alii in easdem ante me inciderint co-
 gitationes, id vel ipse monui, vel alios id ob-
 servasse nescius fui, qui ad id me obstrictum
 non sentio, ut de una re scribens, num ne
 idem fortasse alius ante me dixerit, eapropter
 ut id monere possim, mille libros commen-
 tatio-

tationum, quarum paucissimis ego utor, ex-
cutiam. Ita valet, viri Celeberrimi & ma-
xime reverendi, in ecclesiæ, rei litterariæ sa-
cræque, & hujus Bibliothecæ, quibus singu-
lis egregio ornamento estis, incrementum,
mihique meisque conatibus favete porro.
Dabam hæc Bremæ ultimis diebus mensis
Quinctilis Anni clō IōccXIX.

III.

YVONIS GAUKES,

Med. Doct.

ad

Fr. Ad. LAMPE.

de

Mirabili mulieris in ptochodo-
chæo Bremensi sanatione. (a)

EPISTOLA.

IN Relatione tua historica satis accurate
facta de mirabili quadam sanatione mu-
lieris monuisti, rem gratissimam tibi fo-
re, si quis re accuratius deliberata cogi-
tationum suarum summam impertiri volue-
rit. Ego verò eam sanationem minime indi-
gnam judicavi, in quam animum meum ali-

Class. II. Fasc. VI.

Zzz

quam-

(a) Vide Class. II. Fasc. IV. p. 759.

quamdiu intenderem ; & quid de ea sentiam, libere tecum communicarem, sperans, imo humillime precans, ne *Collegium* vestrae civitatis *Physicorum Doctiss.* quod eorum sententiae non subscribam, sed ab iis diversa sentiam, graviter ferat.

1. Quod attinet ad *questiones propositas* : earum primam cum *Physicis Nobiliss.* verosimilem quidem, non autem ob rationes infra dicendas affirmandam censeo.

2. *Secunda questioni* ut rite respondeam, è *Metaphysica saniori* assumere oportet,

(a) in singulis sensibus tres gradus esse considerandos :

(1) *motum corporeum* ab objecto corporeo cuidam sensorio corporis nostri impressum, & per nervos in cerebri penetralia translatum.

(2) *Perceptionem* ab hoc motu in mente nostra ob nexum hyperphysicum excitatam.

(3) *Judicium*, quod huic perceptioni adnectere consuevimus.

3. (b) *Objecta*, quæ sensibus percipimus, esse duplicis generis,

(1) *Objecta singulis sensibus propria*, quæ vulgo *patibiles qualitates*, nominantur. Sic, ex. gr. objectum visus est lumen & colores ; olfactus odores ; gustus saporres ; auditus soni ; & tactus qualitates tactiles.

(2) *Objecta aliquot sensibus communia*, quæ
modi

modi extensionis vocantur, ut figura, magnitudo, motus, quies, & situs.

4. (c) Hæc singula objecta esse singularia (nam *quicquid est, individuum est*;) eaque nihil aliud nisi certas *perceptiones* etiam singulares, quamvis confusas in mente, *sensibiles* appellatas. Sic enim de natura vel essentia hominum è corpore & mente conflatorum, teste vera sensuum experientia, comparatum est, ut ad motum corporeum in mente *hæ tantum* perceptiones oriantur: quas tum voluntas *judicio* vel conjungere, vel disjungere potest, veluti apud nosmet experimur.
5. Præterea animadvertendum est, musculos convulsos in muliercula pro objecto corporeo haberi posse, quod nervorum systemati concussionem vel motum corporeum intulerit, unde quædam perceptio sensibilis in mente potuerit excitari.
6. Jam demum distinctè ad *secundam questionem* responderi potest: nempe, respondeo negando. Negationis autem ratio est, quia ex omnibus sensuum objectis vel perceptionibus sensibilibus, quæ ex hac concussionem nervorum systematis in mente excitari potuerint, nulla mihi reperiri videtur, quæ ullum nexum cum hac cogitatione, *non omnem sanationis spem esse abjiciendam*, habere intelligitur. Unde sequitur, mulierem ex illa perceptione sensibili-

li in hanc cogitationem sensim devenire non potuisse. Liceat mihi in posterum hanc *cogitationem* brevitatis ergo *compositam* vocare.

7. Ille namque nexus fuisse debuisset, vel *nexus physicus*, vel *hyperphysicus*, vel *moralis*. Non *nexus physicus* fuit, quia contradictionem implicat, aliquid corporei ex incorporea perceptione sensibili, in hanc itidem incorpoream cogitationem compositam protensum esse. Neque *nexus moralis*, quandoquidem illa perceptio sensibilis, & hæc cogitatio composita non sunt ipsæ res cogitantes, sed rei cogitantis modi, circa quos utpote morum non capaces nexus moralis non obtinet. Nec denique *nexus hyperphysicus*, qualem inter motum corporeum & perceptionem sensibilem in sensibus esse novimus, quippe qui nec vera sensuum experientia, nec experientia apud nosmet, nec revelatione divina, nec ullo alio modo probari potest. Ergo, &c.

8. Reponenti mulierem perceptione illa sensibili in hanc compositam aliam ex alia deducendo, adeoque *ratiocinando* sensim devenire potuisse respondeo in tota & perfecta Relatione historica talis ratiocinationis mentionem habitam esse nullam.

9. Jam transeundum est ad *tertiam questionem*, cui ut satisfiat, naturam *imaginationis* præmitti

mitti oportebit. Id antequam fiat, scire convenit, heic non intelligi *animalium imaginationem*, quæ solum corpus; nec *angelorum imaginationem*, si quam habeant, quæ solam mentem requirit; sed *hominum imaginationem*, quæ corpus simul ac mentem, tanquam duas partes essentielles arcte unitas postulat.

10. Nos autem essentiam imaginationis humanæ, ne nimis prolixi simus, ex *anthropologia* assumemus: nimirum, cum vigilando à spiritibus animalibus vel succo nervoso præcipue crasso, voluntariè, motu intermedio, magnæ imaginis vel situs fibrillis cerebri impressi sunt, ob eos magnæ & constantes radiationes in illo succo per ventriculos cerebri profuente oriuntur. Per hæc radiationes glandulam pinealem prementes, ob nexum hyperphysicum, in mente nostra fiunt claræ & fixæ de rebus corporeis perceptiones, quæ cum illis imaginibus *imaginationem* constituunt.

11. Sed antequam responsum absolvam, sensus hujus *tertiæ questionis* mihi esse videtur, annon hæc composita cogitatio, *sibi non omnem sanationis spem esse abjiciendam*, in muliercula hanc imaginationem, *ut hoc, quod illi, vel vigilantibus, vel dormitantibus occurrit, vere sibi apparuisse crederet?* id est, quantum ego percipio, *imaginationem* hujusmodi apparitionis, vel hujusmodi apparitionem *ima-*

ginariam, creare potuerit? Id quod nos negare haud dubitamus.

12. Etenim omnis imaginatio, ut ex ejus essentia §. 10. proposita patet, constat (1) *ex magna imagine cerebri fibrillis impressa*; (2) *ex clara & fixa perceptione in mente isti imagini adnexa*. Itaque si illa *cogitatio composita* hanc *imaginationem* in muliercula creasset, eam aut *formaliter*, aut *eminenter* habuisse debuisset. Non *formaliter* habuit, eo quod res incorporea est, atque adeo rem corpoream, qualis imago cerebri est, ac per consequens ipsam *imaginationem* non habuit, & ob hoc ipsum creare non potuit. Nec *eminenter*, quia, utpote res creata, limitata, ac imperfecta tam eminentem potentiam non habuit, ut talem *imaginationem* creare potuerit. Ergo, &c.

13. Nunc tandem accingimur ad responsum quæstioni quartæ dandum: quod ut commode fiat, ante sciendum est, quid nomine *corroboratæ atque adauctæ phantasiæ* (*imaginationis*) sit intelligendum. Ego vero per eam nihil aliud intelligendum arbitror, nisi *cogitationem compositam*, *imaginatione* (quam utramque §. 11. proposuimus) *corroboratam atque adauctam*; vel hanc *imaginationem illa cogitatione composita corroboratam atque adauctam*. Itaque quarta quæstio sibi velle videtur, annon utraque simul sumpta (quia *vis unita major*) efficere potuerit, ut *motus ille longe citius in ejus membris restitua-*

stitutus fuerit, quam fortasse alias fuisset factum?

14. Quod attinet ad *cogitationem compositam* vel *spem sanationis*: quia vera sensuum experientia constat, animi passiones in corpore nostro ingentes concitare posse mutationes; & spes sanationis animi passio specialis est, ad cupiditatem unam è sex notis animi passionibus generalibus pertinens, concedi potest, supradictam *spem* efficere potuisse, *ut motus ille longe citius &c.*

15. Sed quo pacto corpus nostrum ob animi passiones magnas subeat mutationes, & spes sanationis ejusmodi effectum sortiri potuisset, unum ex iis, quæ in *anthropologia* explicatu difficillima sunt, esse mihi videtur. Ego vero quid super hac re sentiam, tribus verbis inpraesentiarum demonstrare libet.

16. Causæ animi passionum quotquot inveniri possunt, ad quatuor genera reduci possunt, quæ sunt,

(a) *Objectum corporeum*; (b) *imaginatio voluntaria*; (c) *certa sanguinis temperies*; & (d) *objectum incorporeum*. Nos, quo clarius universam animi passionis essentiam exhauriamus, *objectum corporeum* pro causa habebimus.

17. Igitur cum *objectum corporeum* mediante *motu fibrillis cerebri* certam *imaginem* inducit, *succus nervosus* fortem *radiationem* inde accipit, qua *glandulam pinealem*

afficiente exoritur in mente *perceptio* objecti. Deinde perceptioni adnectimus *judicium*, quo objectum vel utile, vel inutile judicamus: quod *judicium* sequitur *volitio*, qua corpus nostrum *movetur* vel ad objectum utile assequendum, vel inutile fugiendum: dum interim *in corde*, & interdum etiam *in abdominis visceribus* nescio quid sentitur. Hasce partes omnes, quæ essentiam animi passionis constituunt, in ea inesse, per experientiam, tum veram sensuum, tum in mente nostra apud nosmet cognoscimus.

18. Quod si omnes hasce partes perlustremus, comperiemus, solam succi nervosi *fortem radiationem*, quæ glandulam pinealem *afficit* movetve, in causa esse posse, cur corpori nostro ob animi passiones tantæ eveniant mutationes. Siquidem glandula pinealis sic motu situm nanciscitur, quo succum nervorum in nervos cordis determinat. Quod proinde insolito motu cietur, unde simul quoque sanguis per ejus ventriculos transiens insolito modo moveatur atque agitetur necesse est. Hac autem agitatione aliæ sanguinis particule ex aliis excutiuntur, & libertati vindicantur: quæ à compedibus suis liberatæ pro varia sua figura, magnitudine, & motu, varia in corpore nostro effecta & phænomena producunt.

19. Et quoniam in cupiditate hæc potissimum phænomena teste experientia se ostendunt, (a) *pulsus robustissimus & maximus*, (b) *calor major in pectore*, & (c) *in reliquo corpore*, (d) *interdum rubedo faciei*, (e) *sensus subtiliores*, & (f) *motus faciliores*; atque ea commodissime deduci possunt è *particulis alcalinis volatilibus lenibus*, ac *oleosis volatilibus*, ideo hæc particulas in cupiditate è reliquis in sanguine particulis extricari, in eoque (ut alias particulas in aliis affectibus) dominari credo.

20. Proinde quoniam *spes* est specialis animi affectus ad cupiditatem spectans, ideo palam est, istas quoque particulas *in spe* dominium tenere, & ob eas fieri posse, ut *motus ille longe citius &c.* quanquam obiter etiam scire convenit, à *posse ad esse non valere consequentiam*.

21. Interim heic animadvertendum est, quoniam in tota Relatione historica nullum *objectum corporeum*, nec *imaginatio voluntaria*, nec *objectum incorporeum* occurrit, quatenus causa sit hujus *spei*, facile quenquam credere, hanc *spem* in muliere, quam diu ante apparitionem concepit, natam esse è *certa sanguinis temperie*. Sed unde verius mihi nata videatur, infra videbimus.

22. Hucusque de *cogitatione composita* vel *spe sanationis*: jam examinandum est, an su-

prædicta *imaginatio*, scilicet, apparitionis
S. II. efficere potuerit, ut *motus ille longe ci-*
tius &c. Quod nos inficias ire haud vere-
 mur. Nam in *imaginatione* est, & *imago*
cerebri, & *perceptio isti imagini adnexa*: ergo
 hoc effectum alterutri ex his duobus, vel
 utrique simul acceptum ferendum est. Sed
 neutri hoc effectum tribuendum esse ex eo
 patet, quod clare intelligimus, neutrum
 paralyseos causam solvendi vel *formaliter* vel
eminenter habere. Non *formaliter*, quoniam
 ejusmodi vis consistit in quadam figura, ma-
 gnitudine, & motu particularum, quibus ali-
 qua res in causam paralyseos agere potest;
 ac quibus utrumque carere perspicuum est.
 Nec *eminenter*, propterea quod utrumque
 creatum, limitatum & imperfectum est,
 causam paralyseos ob id ipsum solvere ne-
 quaquam valens.

23. Objiciat aliquis, imaginem cerebri id
 posse mediante succo nervoso, qui per
 eam fluens certam radiationem accipit, quæ
 per nervos ad causam paralyseos perveni-
 ens eam solvere potest, quemadmodum
 hoc pacto *stigmata* in infantibus per *imagi-*
nationem matris oriri novimus. At respon-
 deo, concesso, quod succus nervosus ra-
 dians ad paralyseos causam pervenire queat:
 eum tamen infinito modo plus posse in tam
 tenellum infantuli corpusculum, quam in
 tam tenacissimam hujus paralyseos causam,
 in confesso esse credo.

24. In-

24. Instanti experientia confirmari, per imaginationem morbos si non sanescere, certe facilius sanitatem admittere, replico concedendo. Nam *imaginatio apparitionis* rei cuiusdam terribilis, qualis heic intelligenda est §. 11. mediante ea animi passione, quam *consternationem* appellant, magnam in corpore nostro mutationem excitare potest §. 18. Atqui mulierem animo consternatam fuisse, in Relatione historica non legimus. Et *imaginationem* vel potius *spem* sanationis aliquid ad hanc paralytin sanandam conferre potuisse, §. 20. haud negavimus. Ast quam ficulum praesidium fuerit adversus tam fortem hostem, qualis haec paralytis, ex infra dicendis abunde patebit.

25. Igitur non tam ex iis, quae supra in medium protulimus, quam quae infra dicemus, non liquere nequibit, quid ad *quintam questionem* sit respondendum, videlicet, hoc factum *vero miraculo* tribuendum.

26. Etenim (1) rationi consentaneum est: haec phaenomena per miraculum fuisse facta, (a) dextram mulierculae a quodam fuisse prehensam. (b) Eam omnia circa lectum clara luce collustrata vidisse, simulque hominem candidum instar nivis, oculisque praeditum scintillantibus, & instar ardentis facis lucentibus. (c) Visum hominem haec verba protulisse, *Cape atque comede, ita convalesces.* (d) haec

(d) Hæc verba ab ipsa fuisse audita. (e) Istum hominem ori illius offulam inseruisse. (f) Ipsam oris ope deprehendisse hanc offulam habuisse amygdali magnitudinem; & (g) mellis dulcedinem; atque jam tum (h) diffluxisse, cum ore conaretur eximere. Tum (i) rursus hæc verba audivisse, *ora, spera, neque animum abjice*; ac (k) omnia una cum lumine evanuisse. Postea (l) hanc vocem auribus hausisse, *Evigila, que dormis, & surge è morte, ut Christus tibi illucescat*. Rationi, inquam, consentaneum est, omnia hæc phænomena vere extra mulierem extitisse, & per miraculum fuisse facta, quia eorum omnium objectorum singulæ & separatæ imagines in cerebrum quondam receptæ, nempe, visu, auditu, & tactu, & quidem successive & separatim, naturaliter, ita conjungi non potuerunt, ut mulieris animæ illa omnia tam distincte, ordine, & connexionem, velut in Relatione historica narratum est, repræsentarentur: præsertim tum temporis, cum causa paralyseos eousque soluta esset, ut concussionem nervorum systematis in totum solveretur.

27. Illas vero singulas & separatas imagines fibrillis cerebri insculptas ita naturaliter conjungi non potuisse, patet eo, quod succus nervosus (cujus influxu è ventriculis cerebri in ejus fibrillas conjungi deberent) *motu mechanico*, adeoque promiscue, non cum delectu, in eas moveri solitus est.

Qui

Quibus addi potest, multas ex istis imaginibus dubio procul successu temporis, quippe quæ olim successive receptæ erant, deletas fuisse, adeoque succum nervosum haud admittere, nec renovari potuisse.

28. Ut omittam hanc demonstrationem etiam experientia confirmari. Quis enim unquam expertus est, tot diversas & separatas cerebri imagines naturaliter conjunctas fuisse, ut tot & tam diversa phænomena tam distincto ordine, & exquisita connexionem; & id quidem in tempore opportuno, cum aliquod extraordinarium in proximo esset, alicui vigilantem, & sanum cerebrum habenti exhiberent?

29. Objicienti illam imaginum conjunctionem in somnis nonnunquam evenire, unde nihil vetat, eandem & in vigilante atq; mentis compote usu venire posse, respondeo, id magis in somnis fieri posse, quam in vigiliis, utpote in quibus succus nervosus fere semper voluntatis imperio motus in alias cerebri fibrillas movetur, quam quæ imagines sibi impressas habent, nempe in eas, è quibus nervi motibus voluntariis destinati sunt compositi.

30. Præterea nunquam in somnis videmus imagines tam distinctas simul ac bene ordinatas connexasque; sed semper plus minus confusas, male dispositas, & interruptas. Ne referam eas in somnis nunquam

quam cohærere cum iis, quæ præcesserunt & secutæ sunt illas, quas vigilantes habebamus: quam cohæsionem tamen in muliere factam observamus.

31. Fateor quidem melancholicos exerceri imaginibus distinctis, bene dispositis & connexis: sed eæ sunt tam fixæ, ut aut semper inhæreant, aut certe vix quicquam remittant; non factæ tempore quodam, quo aliquid extraordinarium subsequutum est, (ut in hac muliere sanatio morbi immediabilis) sed tantum in hominibus *melancholiâ* laborantibus: ita ut imagines melancholicorum toto cœlo distent ab iis, quas hæc muliercula habuit.
32. Verum quidem etiam est dari homines, qui succum nervosum crassum habentes magna facultate res corporeas imaginandi pollent. Sed hi voluntariè imaginantur, nulla re extraordinaria sequente, secus ac in hac muliere, cui imagines citra voluntatem apparuerunt sic, ut paulo post morbus ipsius insuperabilis superaretur.
33. (2) Nunc de ipso morbo: *paralysis*, quæ mulierem infestavit, ut ex Relatione historica patet, fuit *perfecta, inferioris dimidii corporis*, quæ *ultra sexennium*, laborantem *cachymicam* (quoniam à tenera ætate omni morborum genere conflictata est) tenuit (quam *semiparalysis lateris sinistri* à tertio ætatis anno contracta nunquam ex toto deseruit

ruit) adeo pertinax, ut *contra eam per biennium praesidiis praestantissimis frustra pugnatum sit, sed brevi tempore scilicet, intra pauculas horas maximam partem, & in totum tri-duo sanata, & quidem perfecte sic, ut nil quicquam vitii relictum fuerit, quippe cujus in Relatione historica mentio facta sit nulla.*

34. Jam teste ratione & vera experientia constat, (a) *paralysin perfectam, si non omnino impossibilem, utique sanatu perquam difficillimam esse. (b) Paralysin universi dimidii corporis sanatu difficiliorem esse, quam alicujus tantum partis; (c) & adhuc difficiliorem in inferiori corpore quam superiori; (d) difficiliorem quae ultra sexennium duravit, quam quae recens coepit; (e) quae cacochymicumprehendit, quam quae hominem sani habitus; (f) quae semiparalysi alterius lateris corporis aliquomodo laborantem, quam si ea prorsus desit; & (g) quae ob pertinaciam praesidiis praestantissimis per biennium exhibitis non cedit, quam quae per eadem a primis hebdomadis minui deprehenditur, praeterea (h) supra scriptam paralysin tam brevi tempore per optima remedia ad sanitatem perducinequaquam posse; & (i) si tandem aliquot mensium spatio ad sanitatem veniatur, semper quiddam reliquiarum vitii ad extremum vitae diem permanere. Quae omnia si vera sunt, ut vera esse mihi persuasissimum habeo, quisque facile videt, mulierem nequaquam*

quam concussione nervorum systematis tam brevi tempore, reliquiis mali remanentibus nullis, ad sanitatem redire potuisse, sed ad eam *miraculo* opus fuisse.

35. (3) Quia Deus ens simplicissimum est, & res quaelibet convenienter naturæ suæ agit, ideo Deum quoque modo simplicissimo agere constat. Jam è divina scriptura palam est, Deum Salvatorem nostrum morbos insanabiles miraculose sanaturum auxilia si non noxia, certe iis depellendis inutilia adhibuisse. Et quum offula mellita ori mulieris inserta quoque paralyfi ejus incurabili curandæ prorsus inutilis fuerit; & DEUS simplicissimo modo agat, non possumus non judicare, mulieris paralyfin insanabilem eodem modo à DEO, quo morbi immedicabiles à DEO Salvatore nostro, scilicet, miraculose sublatum esse.

36. (4) Quoniam mulier erat vigilans (præterquam cum ultima verba auribus hauriret) & sani cerebri, ratione & experientia adducti judicemus oportet, ea omnia, quæ sensibus ejus, iisque tribus diversis, visus, auditus, & tactus oblata fuerunt, vere extra eam extitisse. Imo cum DEUS summe verax sit, ac realitates efficiat omnes, annon hinc etiam sequitur, eadem omnia vere à DEO extra mulierem fuisse facta?

37. (5.) Adhæc quia Hermannus Werth, ejusq; uxor in lecto, qui lecto mulieris maxime con-

contiguus erat, tum temporis vigilantes jacebant, & tamen nil quicquam vel oculis, vel auribus usurparunt, judicandum mihi sane videtur hoc factum esse, quod pressio globulorum cœlestium, unde lux, homoq; candidus videri, atque motus aëris undulatorius, unde verba audiri debebant, inde ab Hermanno Werth ejusque uxore, illa ad oculos, & hic ad aures mulierculæ, per miraculum determinarentur.

38. (6.) Tum è suprapositis quoque omnibus mihi fluere videtur, spem sanitatis redituræ, quam mulier semper habuit, & sæpe numero præ se tulit, non è peculiari sanguinis temperie, ut aliquis facile crediderit §. 21. sed immediate à Deo ipsi impressam fuisse: secus enim Deus non *eodem modo* in toto hoc negotio egisset, quod ejus simplicitati adversaretur. Hoc namque de omnibus Dei actionibus judicandum venit, nisi revelatio Divina aut vera sensuum experientia aliter docet.

39. Tandem hæc animadversio mihi digna videtur, quam coronidis loco subjiciam; cum dubii hæremus utrum aliquod phœnomenon à natura, an à Deo miraculose, factum sit, præstat, cum Deo enti summo summa gloria competat, Deo quam naturæ illud acceptum referre. Etiam si fateor sic inter Scyllam Charybdimque medius quidam

sit obtinendus, ut semper veritatem in oculo habentes neque superstitione imbuti Deo immediate tribuamus, quod ob naturales causas contingere posse intelligimus; neque incredulitate moti naturæ adjudicemus, quod Deum immediate authorem habet.

40. Hæc sunt, Vir Celeb. quæ in præsentia ad Te mittere ausus fui. Quibus si Te vel mediocriter delectari comperiam, compendiosam de miraculis dissertationem methodo mathematica demonstratam, & exemplis è verbo divino desumptis illustratam, hac occasione, addere non gravabor. Vale, Vir Eruditiss. ac diu vive, meque quantumvis Tibi ignotum ama.

Dabam Embdæ, ipsis Calendis Aug.
Ao. MDCCXIX.

IV.
CONTROVERSIAE
DRIESSENIO-WITTICHIANÆ
Continuatio.

Quæ in causa WITTICHIANA porro gesta sunt, ut attexamus, scripta fasciculo hujus classis secundo pag. 366. annuntiata perlustravimus, quorum argumenta ex pleniori, quem ad ponimus, titulo colligere licet.

Latinum ita inscribitur: *Altera vindicatio nominis atque orthodoxie Wittichianæ a calumniis atque injuriis Driessenianis, in qua tria non modo Cl. ANTONII DRIESSENI responsoria nuper emissa, verum etiam ejus alloquium ad Ecclesiam Belgicam refutantur.* Auctore Gr. V. Præfatiunculam præfixit T. H. VAN DEN HONERT Lugd. Bat. 1718. 4. 13½. pl. In præfatiuncula Cel. HONERTUS laudat Cl. WITTICHIUM, quod in oratione sua inaugurali de *certitudine & evidentia &c. orthodoxiæ suæ publicum ediderit testimonium, atque in ea rotundo professus sit ore, mentis perfectissimæ existentiam; mundumque a Deo EX NIHILO productum, atque sapientissimæ Ejus Providentiæ gubernari; hominisque summum bonum in ejus communionem positum esse.* Ita publice diremtam litem censet. Quod tamen antagonists Cl. WITTICHI non videbitur, qui non tam de persona Ejus, verisque animi ejus sensis, de quibus judicium DEO relinquunt, quam de dissertationis ejus tenore litigium moverunt. Tractatus ipse quatuor capitibus absolvitur, quæ totidem Dissertatiunculis *Driessenianis* opponuntur. *Primo* ad examen revocatur Alloquium Ejus alterum ad Lectorem orthodoxum: *secundo* Alloquium ad Ecclesiam Belgicam, quod in linguam quoque Belgicam versum Roterodami ex officina Doesburgiana prodiit. *Tertium* concernit Ejusdem responsionem ad WITTICHI alloquium ad

Lectorem Philosophum: quartum vero ipsam Authoris Gr. V. nominis atque orthodoxæ Wittichianæ vindicationem defendit.

